Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Freder

EPICEDION || REVERENDI VIRI || D. IOACHIMI || VVESTPHALI,|| SVPERINTENDENTIS || ECCLESIAE HAMBVR-||GENSIS, autore || M. IOHANNE FREDERO Hamburgensi.|| ORATIO || DE VITA ET OBITV EIVSDEM || D. VVestphali, scripta à IODOCO ME-||THODIO Hamburgensi.|| et || EPITAPHIA || ab amicis scripta.||

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1575

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1751857417

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1751857417/phys_0001

Bb – 3323.
<SON>

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1751857417/phys_0002

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1751857417/phys_0003

EPICEDION

REVERENDI VIRI D. IOACHIMI VVESTPHALI,

SVPERINTENDENTIS ECCLESIAE HAMBVRGENSIS.

Autore

IOHANNE FREDERO HAMBVRGENSI.

ORATIO

DE VITA ET OBITV EIVSDEM D. VVestphali, scripta à IODOCO METHODIO Hamburgensi.

EPITAPHIA

ab amicis scripta.

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

ROSTOCHII

EXCVDEBAT IACOBVS LVCIVS.

Anno M. D. LXXV.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1751857417/phys_0005

EPIGRAMMA IOHANNIS STIGELII

In Encomium Vrbis HAMBVRGÆ à M. IOHANNE FREDERO SENIORE ante 40. annos editum.

HAec lege, Saxonicis vrbs florentiſſima terris,
Nobile de veteri quæ Ioue nomen habes,
Perlege, ſis quamuis externæ haud indiga laudis
Te tamen hic aliquid forte quod ornet, erit.
Quòd longè excellas argenti diues & auri,
Quòd belli præſtes arte, quòd arte togæ,
Eſt aliquid dignum plauſu, candoreq; Varum,
Non tamen hinc ſummæ præmia laudis habes:
At quod ſaluifici propages dogmata CHRISTI
Hinc te pro merito, qui canit, ille canit.
Ante Iouem, populis ſub dio viuere ſuetis
Conſultò ignotum nomen, & vrbis erat,
Pòst vbi ſenſerunt ſe ſemina ducere cœlo,
Atq; aliquem, mundum qui regat, eſſe Deum,
Tunc primùm amplexi iuncti conſortia cœtus
Tegmina vicinis compoſuêre caſis,
Vtq; alios alij de relligione docerent
Contiguas Pietas iuſſit habere domos:
Hinc vrbes ſtructæ, quarum eſt, ante omnia, munus,
Adſeruiſſe Deo, quam iubet eſſe, fidem.
Quod quia tu facias, meritò pia Muſa Frederi
Deſcripſit laudes hac quoq; parte tuas,
Quem tu ſi fueris aliquo complexa fauore
Forſitan his alio tempore plura dabit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1751857417/phys_0006

MAGNIFICIS ET AMPLISSIMIS DOMINIS, SPLENDORE FAMILIÆ, SAPIENTIA, VIRTVTE, DOCTRINA ET DIGNITATE PRAESTANTISSIMIS, D. D. CONSVLIBVS ET SENATORIBVS inclytæ Reipublicæ Hamburgensis, Dominis & patronis suis colendis.



Vrbibus eximium decus et pulcherrima laus est,
Cùm sunt viuentis templa sacrata Dei,
Templaq; iustitiæ, morumq; templa bonorũ,
Cùmq; bona ciues Curia pace regit.
Ergo Saxonicis vrbs laudatissima terris
O Hamburga tuum tollis ad astra caput.
Hospitium præbes Christo Musisq; benignum,
Et punis nocuos, innocuosq; foues:
Est memor hospitij Christus, qui dona benignus
Diuidit hospitibus splendidiora suis.
Hinc te pura Dei doctrina, grauisq; Senatus,
Aurea libertas, aurea paxq; beat.

Saluete ô patriæ patres, quos inclyta virtus
Ornat & eloquij iudicijq; vigor,
Qui magnam magna laudem bonitate merentes
Lux estis patrij lausq; salusq; status:
Sumite placato quæ mitto carmina vultu
Eximij in laudes officiosa viri;
Qui columen præstans studijs virtute fideq;,
Et sacri cœtus dux oculusq; fuit.
Pergite grata Deo, vestræq; salubria Spartæ
Præstare, vt facitis, portus & esse Scholis.
Semper honos, nomen vestrum, laudesq; manebunt,
Quas alij versu splendidiore canent:
Si fuerit vobis hæc non ingrata voluntas,
Hic labor, hæc animi candida signa mei.
Viuite patroni Pylios feliciter annos
Insignis patriæ gloria, splendor, honos.

IOHANNES FREDERVS.

EPICE.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1751857417/phys_0008

EPICEDION
REVERENDI VIRI D. IOACHIMI WESTPHALI, SVPERINTENDENTIS ECCLESIAE HAMBVRGENSIS.

Fas mihi te cœli iam VVestphale regna tenentem
Dicere, quem terris viuum reuerenter amaui:
Qui constante meos complexus amore parentes
Omnibus officijs fidei, dum vita manebat,
Arctis apparens idem qui rebus in amplis,
Semper amicitiæ coluisti fœdera, CHRISTI
Fœdere coniunctæ: quam non præsentia tantùm
Corporis, aut propior conspectio mutua vultus,
Non auri vtilitas, non assentatio palpans,
Sed pietas, veriq; DEI timor vnius vnus,
Vna fides, vnum munus, verbiq; sacrati
Vnus amor, studiumq; vnum potuêre tot annos
Conseruare, velut creberrima litera testis,
Et pia facta pijs benè conuenientia dictis.
Talis amicitiæ post vltima fata parentum

Me (ſolet vt natus patris hæres eſſe bonorum)
Hæredem fieri voluiſti pectore toto:
Illiusq; mihi monumenta ſerena relinquis
Diſcedens mundo: reuerenter egóne viciſſim
Iure relinquo tibi quoq; noſtri pignus amoris?
Officiumq; DEO gratum, nec inutile pubi
Me præſtare iuuat? virtutum vera canendo
Ornamenta, quibus tua vita inſignis & ætas
Vltima cum prima, mediaq; decora refulſit:
Vt videat vitamq; tuam, ſtudiumq; iuuentus.
In diſciplinis magna cum laude parandis,
Moribus in vitæ caſtis & rebus honeſtis?
Excitat exemplum iuueniles nobile mentes,
Excitat ardentes in pectore Gloria flammas.
Vnde ſed incipiam? tua num quid patria laudis
Principio attulerit? tibi quæ clariſſima verè
Omnibus & ſanctis, omni digniſſima laude eſt
Communis tecum cultrix Eccleſia CHRISTI,
Huius tu ciuis non proletarius, inter
Tot proceres ſanctos: ſed verè nobilis extas
Patritiusq; nites: quæ laus ampliſſima fulget,
Splendidior multò, quàm ſi natalibus eſſes
Ortus patrityis Solymæ ſub mœnibus vrbis
Sanctæ Sanctorum patriæ ſine origine ſancta.
Laudis id amplificat naturæ patria, laude
Inclyta Saxonicis vrbs antiquiſſima terris.

Auſpi-

Auſpicijs cœpit quæ feliciſſime Regum
Carole Magne tuis claras aſſurgere in auras,
Et Ioue de veteri ſuſcepit nomen & omen
Nobile, felici genio, felicibus aſtris,
HAMBurgum meritò celebratum carmine Vatum
Non modò quòd dives ſpectetur copia rerum
Vtilium vitæ, quòd magnis molibus ædes
Arte laboratæ niteant, pax aurea regnet,
Armaq; ſi poſcas, Martis clariſſima virtus:
(Magna vocanda quidē decora, ornamentaq; magna)
Sed leges & templa DEI, morumq; bonorum
Aſtræaq; iubar, diſciplinæq; poteſtas,
Sunt anima vrbis, honos patriæ, laus ſumma Senatus:
Qui decus eximium ſumma virtute tuetur,
Ingenuas ornans propenſus honoribus artes,
Nec torpere Dei patiens ſacra templa veterno,
Virtutum donis, doctrinarumq; celebres
Cognitione viros, arasq; Scholasq; regentes
Adſciſcens, ſociansq; ſibi, nec ſumptibus amplis
Parcens: eximium quorum Reſpublica fructum
Percipit: Hoc etenim quòd non ſub turbine rerum
Hactenus Arctois fuit vrbs felicior oris,
Quòd decorant illam veneranda corona Senatus,
Et felix pietas, felix induſtria, felix
Exitus in vitæ ſtudijs, & rebus honeſtis,
Iam quòd habet multos, & habebit poſtmodò multos

Egre-

Egregia excultos doctrina & moribus aptis:
Munera tanta DEO, magnaq; ex parte Lyceo
Ingenuis celebri studijs debentur, & aræ
Præsulibus, fidei fidis, Christiq; ministris,
Patribus & patriæ, qui præfecêre fideles
Templis Doctores, disciplinæq; Scholisq.
Nec laus exigua est doctæ quòd Palladis artes
Et studia Aonidum certatim adamantq; coluntq;
Ipsi adeò proceres, ideo quoq; littus id ipsum
Et Thetyn blando demulcent carmine Musæ,
Arrectasq; sua Neptuni detinet aures
Clarus Apollo lyra: senior pater exilit Albis,
Inter & æquoreas sua defert gaudia Nymphas,
Lætior Oceanum, sex horis agmine pleno,
Ingrediens miro bis solibus omnibus æstu
Rursus & assurgens sex horis vertice prono.
Ibat vt Euripus refluis mirabilis vndis
Eubœam quondam Clariam inter, & Aulida claram.
At non illa noua est tantæ possessio laudis,
Vrbs hæc progenuit quia multos ante celebri
Doctrina eximios, doctrinarumq; patronos,
Quos inter fulgens Albertus Crantzius æui
Lausq; decusq; sui est, velut inter sidera fulgens
Iupiter, excelso quando est sublimis Olympo:
Historiæ præses præstanti gaudet alumno,
Vandaliæ rebus qui gestis munera vitæ

Attu-

Attulit: æternùm quæ cœca nocte laterent
Hoc ſine patrono, qui nomina clara coronæ
Eximia cum laude gerit, dignusq; corona eſt
Perpetua, ô Clio gratam da grata coronam.
Quid reliquos memorem? quorum Germania nouit
Inclyta virtutem: quorum prudentia Iuris,
Et pietas & cana fides atq; ardor honeſti
Doctrinæq; decus bonitati nobile iunctum
Eloquijq; nitor ſeruit clariſsimus orbi
Aut vrbi patriæ, ſibi quæ felicia gignit
Ingenia egregijs clariſq; parentibus orta,
Et quandoq; humili de ſtirpe orientia: quæ cùm
Emergunt, ſobiliq; ſuæ ſeroq; nepoti
Sunt fundamentum, ſunt nobilitatis origo.
Sícne ſibi Cicero magnæ lux altera Romæ
Clarius effecit Catulorum nomine nomen,
Eximiumq; magis, quàm Scauris floruit vnquam?
Sic tibi ſancte DEI præco, quem carmine dico
Multa diuitibus magis integritate fideq;
Sinceroq; DEI cultu & pietatis amore:
Quàm malè quæſiti cumulis ingentibus auri,
Iugeribusúe ſoli, poſitisúe in fœnore nummis,
Attamen ingenua de ſtirpe parentibus orto,
Indolis eximiæ ſpecimen morumq; bonorum
Ipſa è fronte ſtatim primo reſplenduit æuo.
Ipſi etiam ciues, quorum prudentior ætas

Viciniq́ tui patris, cariq́ propinqui,
Crescentem teneris te conspexêre sub annis
Vultibus hærentes, ideò suasêre parenti
Auxiliumq́ tulêre pij, quò tale per artes
Ingenuas pectus coleretur flore sub æui
Sacrandum CHRISTO doctis insigne Camœnis.
Nec mora; consentit genitor doctoq́ Lyceo
Adducit natum, qui primæ paruulus artis
Spe præceptoris citius fundamina iecit,
A tergoq́ suos ita liquit in arte sodales,
Inter equos veluti se cursu Pegasus effert.
Ipse Scholæ rector pueri miratus amorem
Discendi, ingeniumq́ capax virtutis & artis,
Primitias adeò eximias quid conspicor? (inquit)
Cresce puer felix, felicibus edite stellis,
Cresce fauente DEO, succresce ad grandia nate,
Tu Ioachimus eris, tua mens gratissima sedes
Dulce DEI templum est, patriæ tu splendida terræ
Gloria fulgebis, nisi me præsagia fallunt.
Hæc & plura quidem dicentis, dulcia mentem
Gaudia demulcent: verè quia dulcis imago,
Et menti verè est generosæ grata voluptas,
Ingenui vultus puer ingenijq́ sagacis:
Qui seruire DEO, qui multis esse saluti
Gaudeat, & patriæ decori venientibus annis.
Sed tu Musa mihi memora quo tramite ductus

Egre-

Egregia faciat progreſſus artis alumnus:
Non illi natura deeſt, nec cura, nec ardor
Optima diſcendi. præcepta breuiſſima dantur,
Exemplisq́ bonis illuſtria, dignaq́ diſci:
Doctor & artifices qui maximus efficit Vſus
Sæpe ſtylum vertens crebras adhibetur in horas:
Profuit eloquij veros accedere fontes
Magne tui Cicero, magnæ lux altera Romæ,
Profuit & Graios vates iunxiſſe Latinis,
Auribus & linguam teneris aſſueſcere vtranq́
Profuit Aeneæ flagrantes pectoris æſtus
Ignibus Aeacidæ conferre, Ithacoq́ vaganti,
Sic preæeunte bono duce iam penetralia vatum
Ingrediens, Aganippæa ſe proluit vnda,
Ante omnes vnum veneratus vbiq́ Maronem,
Ante omnes vnum pariter miratus Homerum.
Et quia non homini quicquam ſine numine fauſtum,
Principium Deus & medium finisq́ laborum
Omnibus in ſtudijs ipſi fuit, omnibus actis,
Ergo ſuam aſſiduè præceptorumq́ ſuorum
Chriſto commendans, æui imbelliſq́ ſalutem
Has toto genibus curuatis pectore voces
Fudit ob ore: Dei fili, puer optime IESV
Mentis & ingeny fons & ſapientiæ origo,
Suffice tu vires, animisq́ accende vigorem,
Artibus ingenuis primo formemur vt æuo,

Sis præstò, velut es, quin vt blandissima mater
Filiolum ardenti complexa tuetur amore,
Et fouet, & lustrat, nec lumina dimouet illo:
Sic tibi filioli sumus & tua cura manemus,
Tu vigil obseruas operas studijq; labores,
Defixis in nos oculis ardentibus igne,
Gratia quem gignit, bonitas mitissima seruat:
Tu nobis faciles artis vitæq; magistros
Præficis, vt nobis vera pietate colendi
Numinis instillent primo cum lacte timorem,
Et rudia erudiant præcordia, quicquid agreste est
Moribus (vt multum est) castigent: quicq. vanum,
Quicquid pestiferum vel rebus inutile honestis
Carpant, luxuriemq; doment sapienter & apto
Tempore, paulatim grauius crescentibus annis.
Gratia Christe tibi, tibi laus, tibi gloria Christe,
Talibus imbellis pro formatoribus æui,
Suscipe tu seruire tibi nobisq; dicatos,
Subq; leua magnum facili tu mente laborem,
Quem benè qui tolerant plantaria viuida cœli
Augent, & summis tellurem dotibus ornant:
O illis vitæ mediocria commoda dona,
O dona Pyliæ Neleïa fata senectæ.
Talia non segnis faciebat vota, sed vrgens
Optima cœpta (iuuant & amant pia vota labores:)
Ergo duas etiam adiungens feliciter artes,

Regu-

Regula dicendi quæ sunt & lumina rerum,
Addiscens illam quoq; laus est optima cuius
Voce Creatorem grata celebrare benignum,
Efficere & motus concinnos atq; süaues
In tota compage animi concentibus aptis,
Vnde corona suum Musarum nomen adepta est.
Ergo vbi olympiades vitæ iam quinq; videret,
Leucoris ora tuos inter referendus alumnos
Aduenit, vt studijs crescat grauioribus auctus,
Iamq; artem numeris cuius transcendere cœlum
Mens humana potest, & res distinguere cunctas,
Artem mensuræ quæ dux, cui circulus offert
Terrarumq; situs, varias rerumq; figuras.
Artem quæ varios solis lunæq; recessus
Stellarumq; vices certas inquirit ad horas,
Feruidus aggreditur, vespertinosq; labores
Reycit, auroræ felicem prædicat auram:
Nititur & summas naturæ accedere partes,
Quid mare producat, quid humº, quid flāma, quid æther
Quid moueat ventos, placidi quid sibilus Austri,
Quid celer Eurus agat, quid rauci murmura Cauri,
Circa pendentem medio quòd in aëre terram
Assiduè obliquo gradiatur tramite Titan,
Libra Ariesq; dies bis in anno noctibus æquent,
Quid Capricornus agat sub bruma, Cancer in æstu,
Quando cadant hyades, & Pleïas exeat vndis

Aurea quo gressu comitentur sydera Solem,
Ceu regem, Dominumq; suum, summumq; monarchã,
Quin artus hominis videt & se nosse laborat,
Vires vnde suas mens hauriat, vnde regatur:
Semita, qua Cereri data, quando vescimur: & quæ
Semita spirandi, cur hæc discrimina, cur hos
Saluos esse velit sapiens natura canales,
Excubias vigiles vt agant in fronte ministri,
Auris vt accipiat sonitus vt sanguine cocto
Pabula epar cordi vehat, & cor ventilet auram
Sanguinis è fumo vitalem, alimenta cerebri,
Cætera quid referam, quæ pagina Socratis offert
Commemoratq; graui sublimis Liuius ore,
Traxerit vt Lybiam sub iura potentia fortem
Fortis & Hannibalem superârit Scipio Marte,
Historiusq; alias animis infigere gaudet,
Regula totius quæ sunt pulcherrima vitæ,
Recta iubens, & praua vetans, & præmia rectis,
Et pœnas prauis statuens: ante omnia verò
Doctrinæ incumbit, quam cœlo protulit alto
Filius ipse DEI, (qua nostræ forma salutis
Enitet,) & sancti veneranda volumina Mosis,
(Qui verè pater historiæ est, & principium & fons)
Versat, & hinc cernit reliquorum oracula vatum,
Quodq; reliquerunt mundo, tibi Christe sacrati
Quatuor herões, quibus alta insignia fulgent,

Magna-

Magnanimus leo, bos, & homo, & regina volantum,
Aureum opus voluit, capiens pia gaudia totus,
Cum te Abrahame legit, teq; Isace, teq; Iacobe
Dilectum placuisse Deo, te quando secundum
Pectora sancta DEI, vates Iessæe repertum,
Aeternumq; DEI natum & sine origine verbum
Stirpe tua cernit deductum & sanguine eodem,
Cumq; tubam sacri te verbi Paule sonoram
Vera salutiferi celebrantem munera CHRISTI,
Pectora mulcentem dictis, animosq; regentem
Audit lætitia plenus, plenusq; stupore.
Hac ratione igitur discenti nauiter artes
Doctrinamq; DEI, Musæ gratantur alumno
Et (quia sunt doctis pulcherrima præmia Musis)
Edere gaudenti specimen laudabile rerum
Notitiæ, mentisq; piæ, vitæq; modestæ
Præmia decernunt, cingentes tempora lauro
Aönioq; sacram dantes è monte coronam,
Quippe Magisterij titulos & munera honorum.
Gymnasium interea patrijs aperitur in oris
Eius opem & fructus studiorum, donaq; mentis
Ingenijq; decus poscens operamq; fidemq;.
Ergo vocatus adest summa cum laude iuuentæ
Dicendi enucleans artes, præceptaq; morum,
Moribus ipse bonis præiens studijsq; probatis:
Scilicet est melior ratio non vlla regendi,

Quam

Quàm facere hæc eadem quæ alios feciſſe iubemus,
Vt patris in ſobolem mens eſt & amica voluntas,
Sic in diſcipulos animusq; fideſq; magiſtri:
Erudit ille rudes, & laudat quicquid honeſtum eſt,
Carpit luxuriem dictis prudentibus, arctans
Paulatim arctandam aſperius, frondator vt almas
Obſeruans vites, dum adoleſcit frondibus ætas
Prima nouis, parcit teneris, & lætus ad auras,
Dum ſe palmes agit, laxisq; accreſcit habenis,
Nondum aciem falcis tentat, ſed carpit aduncis
Carpendas manibus frondes interq; legendas,
Stirpibus at validis, vbi plurimus vndiq; turget
Pampinus, & latè foliorum ſylua ſuperbit,
Tunc arctat ſtringitq; comas, tunc brachia tondet,
Et putat & mundat vites, ſarmenta recidens,
Quæ teneris poſſent vuis inducere noctem
Ni præciſa forent: ſic ergo deniq; dura
Imperia exercens, ramos compeſcit ouantes.
Sæpè etiam tales effundit pectore voces,
Nate DEI præſes doctrinæ, maxime Rector,
Qui ſacer in medio doctorum doctor ad aras
Et delubra ſedens monumenta recludere vatum,
Nil puerile ſonans adeò puerilibus annis,
Erudiens dictis animos & pectora mulcens,
Irradiansq; obſcura ipſo admirante Senatu,
Viſus es, hanc etiam puerorum quæſo coronam

Exor-

Exorna præsens, & sanctis protege castris.
Regula tu morum mores vitamq́; guberna,
Pluribus ingenuas didicisse fideliter artes
Cura sit, ingenij quibus ornamenta dedisti;
Nanq; super sat erunt qui stiuam et castra sequantur,
Et fossas ducant, & sint pigra pondera terræ.
Tu nostros felix fortuna Christe labores,
Tu mea meta, meus sis dux, mea norma docendi,
Nil ego vel faciam, vel dicam, possit obesse
Quod teneræ ætati fidei quæ credita nostræ.
Stulticia & leuitas cunctis agnata, sed illam
Virga sacrata Scholis castigans carpit & aufert
Vilis virga quidem, sed qua præstantior inter
Arboreos non est fœtus: præstantior ô quæ
Omnibus est palmis, omni præstantior auro.
Optima sed virga est primùm monuisse benignè,
Virtutisq́; decus celebrare, & ponere eidem
Præmia præstantes mirè inflammantia mentes,
Et detestari verbis & pectore toto
Omne malum & vitijs pœnas statuisse seueras
Deniq; sumendas cum non meliora videmus:
Sed quodcunq; malum est Deus ô tu corrige sancto
Flamine, nutricis tu raptos vbere serua,
Qui tenero infantum laudem tibi perficis ore,
Deq́; tibi tenero desume fidelia cœtu
Organa, quæ totum celebrent tua facta per orbem.

Non thus in Libano tam gratum ſpiret odorem
Quàm ferat hæc gratos tibi pòſt hæc area fructus,
Purpureæ grauidis vt creſcunt vitibus vuæ,
Vtq; roſæ Idalij ſurgunt in margine riui
Aſſyrioque ſolo canentia lilia florent:
Sic vegeta exurgat, ſic creſcat florida ſemper
Laudi ſacra tuæ, ſtudijs pietateq; pubes.
Hinc vbi labentis pars anni tota peracta
Alteraq; alterius pars anni ceſſerat: oras
Leucoridis repetit, ſtudium pietatis vt vrgens,
Plenius & melius fructu maiore deinceps,
Munere maiori patriæ ſeruire valeret,
Et quia multa poteſt pia conuerſatio, quando
Iungimur ingenio, doctrina, moribus, arte,
Et claris pietate viris, meritisq; fideq;,
Præſtantes virtute viros ſibi fecit amicos,
Quos nitor eloquij, quos cultæ mentis acumen
Reddidit ornatos & ſuauis gratia morum,
Fraternoque tibi vixit coniunctus amore
VITE docens veræ cœleſtia munera vitæ
Præco ſacer THEODORE Dei, qui nobile donum
Poſtmodo fulſiſti, qua tellus Norica ſurgit.
Et Pomerane tibi Pomeranæ gloria gentis,
Quiq; crucis ſanctæ gêſti de nomine nomen,
Illum quinetiam diuini menſa LVTHERI
Tempore longo habuit paſcens cum corpore mentem.

Nobile

Nobile virtutis ſpecimen, morumq; bonorum eſt,
Fœdus amicitiæ, vitæq; ſüauior vſus
Cum virtute viris præſtantibus, arteq; multa.
Peſtis vbi Clarium poſthæc ſæuiret ad Albim
Erphordina tuas adiens Academia ſedes
V Veſtphalus accinctus ſtudijs, non ſegnibus auſis
Erudit arte, rudes artis, iuuenumq; labores
Ipſe manu cenſet, fandi legesq; viasq;
Præcipit & pulchro formandi inculta nitore.
Vere nouo quando puluherrimus imminet annus
Linquere Hiera tuas quas voluis leniter vndas
Et Marpurga tui vidiſſe theatra Lycej
Fert animus, doctoſque viros tenus ore tuerj,
Et coram viuas audire & reddere voces,
(Sicut Ieronymus ſacer & te Damaſe Romæ
Et Dydimum accedit, nitet vrbs quà nomen adepta
Nomine Alexandri, te Nazanzene ſalutat
Cappadoces inter veræ ob pietatis amorem
Quin & Epiphanium, quà fulget ſplendida Cyprus)
Annus abit totus, pars anni lætior inſtat,
Cum ſe purpurei reuireſcens gratia campj
Explicat, ad Rheni gaudet concedere ripas,
Et virides Nicri colles, celebremq; Tubingam:
Præclariſq; adeò ſpectatis vrbibus, vrbem
Quà liquidis ſtagnans vndis Phyliræus Eliſter,
Lipſia te camposque tuos rigat amne perenni

Rursus adire: dein venerandam ad Leucorin ire:
Vt redit optatus redit, & spectatus amicis,
Nec mora, conueniunt iuuenum chorus acer amantum
Doctrinæ, studijq; sui, morumq; Magistrum
Priuatim rectè discenda & agenda monentem,
Monstrantemq; artes facili ratione, requirunt.
Hîc non difficilis, non durus cernitur vlli
Quem videt ingenuo complecti pectore Musas,
Vtq; magis constantem animis inflammet amorem
Aönidum, & studium discendi haud segniter artes;
Aönidum præclustre decus commendat ijsdem,
Artesq; illustres diuinæ lucis & auræ
Cœlestis radios, ciuilisq; inclyta vitæ
Præsidia, & verè decora ornamentaq; vera
Prædicat, & meritò memorando tollit honore:
Sit licet exiguum studijs quod discimus inquit
Pluris id esse tamen quàm mundi regna putemus.
Eia quid est oculis alienis cernere, quicquid
Cernendum est? audire alienis auribus, omne
Quod dignum auditu est? Verè tantum inter & illos
Intererit, norunt qui fontes: inter, & illos,
Qui riuos tantùm sectantur fontium inanes:
Intererit quantùm res ipsas posse videre
Atq; audire alium memorantem. ô talibus ergo
Inuigilate bonis iuuenes florentibus annis,
Dum ratio tempusq; sinunt; ver nobile mentis

Aufu-

Aufugit, aufugiunt vt verno tempore flores
Purpurei: ô Chriſto florem ſacrate iuuentæ:
Tempus erit quando vos hoc feciſſe iuuabit:
Gloria, meta, Dei, noſtri ſit prima laboris,
Altera ſit ſapiens RATIO atq; ORATIO rectæ
Non niſi vera Dei nobis ſapientia verbo
Hauritur, donante DEO ſpiraminis auram,
Hoc Ratio ducenda duce eſt, omniq; regenda
Momento, primas ſibi vendicat ille, ſecundas
Præſtantes virtute viri & ſapientiæ amantes,
Quæ cum laude Dei laudes rerumq; celebrant
Naturam, hiſtoriæq; decus, præceptaq; pulcris
Optima imaginibus pingunt, numeriſq; venuſtant;
Vt mentes hominum penetrent: ORATIO verò
Artibus eloquij, quas appellamus amuſſes
Dicendi, nitidè formatur: quando loquentes
Ornatè & purè proprieq; audire iuuabit,
Nocturna & verſare manu verſare diurna
Mox imitanda: animo memori meliora tenendo,
Quiſquis es ingenua bene progreſſurus in arte,
Vertere ſæpè ſtylum gaude, lux nulla recedat.
Qua nihil Aönia fueris meditatus auena,
Perdidit ipſe diem quando nil pinxit Apelles,
Linea nulla mihi ducta eſt, proh Iupiter, inquit.
ORDINIS eſt etiam ratio tibi ſemper habenda,
Non agit, id, quod agit, qui non agit ordine certo,

Ordine fas pulcro doctrinarum ire per orbem
Perq; gradus veluti procedere: cernere primo
Prima loco, didicisse loqui, quàm dicere, primùm.
Summa subire nequit stolidus qui negligit ima,
Parua quidem fateor possunt studia ima videri,
Si tamen hæc spernas nunquam maiora tenebis,
Lingua Latina tibi, tibi lingua Pelasga, salubres
Quæ doctrinarum fontes aperire valebunt,
Et quæ lingua sacra est summo vsurpata IEHOVÆ
Cognoscenda, dein duo fila viaq; loquendi
Et simul ars numeros tractans, cui Musica iuncta est,
Quam benè naturæ iucunda scientia rerum
Subsequitur, rectæ præceptaq; dulcia vitæ
Tuq; gubernatrix morum & lux splendida recti
Historia, æternæ fulgens sapientia legis,
Nuncia gestarum longè suauissima rerum,
Immortale decus rebus mortalibus addens,
Talibus instructus, summis ex artibus vnam
Inclyta totius quæ sunt fastigia vitæ,
Pectore magnanimo studioq; ingente capessat,
Sed labor ingenij non est vnius vt omnes
Disciplinarum partes ediscat ad vnguem
Integrè pariter, fas ergo discere prima
Firmiter ex vnis illarum elementa libellis,
Nulla sit in primis quam non libaueris artem,
Altera doctrinæ ratio, mediumq; parandæ est,

Artis

Artium & autorum viuæ auscultatio vocis
Hunc sequitur vigilans attentaq́ lectio summos
Autores versans, simul hanc imitatio & vsus:
Dicere dicendo, scribendo scribere disces.
Cuncta potest Vsus, sed creber & improbus Vsus
Quo sine qui studijs te torques nocte dieq́,
Progredîere parum vel nil, labor omnis inanis
Omnis inanis erit cura, omnis lectio inanis,
Tantum proficies, quantum (si dicere fas est)
Quando notas vndætentas inscribere, quando
Funeligas Boream, venaris retibus auras.
Quinetiam atq́ etiam refert, audita, vicissim,
Lectaq́, poscenti recitare & reddere amico,
Vocibus & voces conferre, obscuraque claris
Illustrare sonis, & dilatare quod arctum est,
Soluere fallaces laqueos & vera tueri.
Mnemosine, est omnis doctrinæ gloria & altrix,
Et custos & thesaurus, te plurima scire
Scito, scire queant si alij te plurima scire.
In primis igitur, quia plurima scire necesse est
Plurima discendi mens exercenda labore.
Talibus atq́ alijs vtens sermonibus, aptam
Perspicuamque viam discendi ostendit alumnis
Iudicio præstans & mente sagace Magister
Leucoreos inter cætus doctasque coronas,
Donec ad Aönias sedes vrbemque Rosarum

Arnus

Arnus vbi Oceani miſcetur lætior vndis,
Quò fuerat ſcriptis communi & voce vocatus,
Mens erat ire: viam ſed iam ingreſſurus ab Albi,
A patriæ patribus patrias reuocatur ad aras
Paſtor vt in templo tibi quod Catharina ſacratum eſt
Paſcat oues Chriſti: tanto dignatus honore
Non turget: placidam ſed pulchra modeſtia mentem,
Mirificè exornat, qua rem deliberat omnem
Et tandem patriæ patribus, templiq; patronis
Reſpondens, grates reuerenti pectore ſoluit
Quos orat grauiter, quia voluat pectore, tanti
Muneris acceſſu nil durum fortè, ſed ipſo
Ingentes curas molesq; ſubeſſe receſſu,
Se quibus ipſe parem non omni ex parte videret:
Vt propter laudemq; Dei, patriæq; ſalutem
Inueniant alium cuius doctrina, facultas
Vocis, & ingenij longè præſtantia maior,
Quem clarum grauitate, fide, & præſtantibus auſis,
Subſtituant vacuæ ſedi, foueantq; benigni.
Aſt inſtant illi, pariter clariſsimus inſtat
Æpinus præſul, quo non præſtantior alter
Voce ciere fidem, pectusq; accendere ſcriptis.
Huius conſilium quia non contemnere tutum,
Iuſſa Dei quid (ait) ſummi non mente retracto?
Quid faciam? parebo Deo, parebo vocanti,
Non ego ſum qui ſancta Dei myſteria pandam:

O tu

O tu ſumme parens ſacro mea pectora flatu
Imple, nemo tuæ ſine te miracula dextræ,
Te ſine nemo tui ſcit pandere munera nati,
Tu ſenſus animumq́; meum linguamq́; guberna,
Fidus in officio tibi ſim patiensq́; laborum,
Ad viuos ducam fontes & paſcua viua
Agnos purpureo ſeruatos ſanguine nati,
Quos mihi commendas, mihi quos committis amandos,
Da pacem, pacisq́; tuæ me ſemper amantem
Effice, nil faciam, nil dicam, lædere poßit
Quod pater alme tuum numen, populumq́; regendum.
En infirmus ego, tu firmus, robora cordi
Suffice, ne fugiam pro te ſubeunda ſubire:
Probra, minas, odium, paupertatemq́; crucemq́;
Certa fidelis habet ſub mundo præmia paſtor:
Ne ſit onus ſed honos pro Chriſto hæc præmia ferre,
Eſt melius placuiſſe tibi DEVS optime ſoli,
Quàm ſine te cunctis ſpacioſi regibus orbis.
Talibus obfirmans ſua pectora, numine plenus
In patriam tendit: Schola Leucoris ipſa tabellas
Doctrinæ illuſtris teſtes vitæq́; modeſtæ
Exhibet egregiam grauitatem propter & artis
Multiugæ ſtudium, & veræ pietatis amorem:
Ob quam præcipuè fuerat præclara tot annos,
Vtpote bis quinos & tres cum laude ſecutus
Atria Muſarum: confirmatoq́; reuerſus

Iudicio in patriam, cum bis tria cerneret æui
Lustra sui, magnum quod munus opusq; gerendum
Tardius aggressus fuerat, constantius vrget,
Virtute excellens longè lateq; nitescit
Summo deuitans studio curaq; fidelj
Cuncta, quibus possent offendi corda piorum,
Durior ipse sibi quàm alijs, se legis amussim
Ad sanctam explorans, ne praua exempla sequantur,
Ipse fidelis erat, cœtumque potente fidelem
Reddebat verbo, quod ab æthere filius alto
Attulit: id viua non tantùm voce docebat
Perspicuè multas paucis res dicere verbis
Adnitens, placideq; simul tardeq; profatus
Sed peregrè calamo multis congressus aperto.
Sic erat exemplum virtutum illustre piarum,
Præpositis sanctæ quas mandat Apostolus aræ:
Ipsius ardebat pietas in pectore vera
Sincerusq; DEI timor, & reuerentia supplex
Accendit qualem diuini flaminis aura,
Ipsius vna fides & spes erat vnica Christus;
Quem castis precibus votisq; ardentibus orans
Assiduè sua dicta DEO, sua facta probare,
Ad laudemq; DEI cœptum omne referre studebat,
Omnigenáque licet doctrina excelleret, acrj
Iudicio præstans & mentis acumine solers:
Attamen æterni veneranda oracula verbj

Magno

Magno cum ſtudio pariter veterumq́ recentumq́
Aſſiduè adiungens ſacra commentaria, legit,
Vtq́ magis poſſet diuino paſcere verbo
Mentem, animumq́ oculoſq́ ſuos, animasq́ ſuorum.
Sobria menſa viro fuit acceptiſsima ſemper,
Quæq́ modum ſeruans moderatio temperat omnia.
Fidus in officio fuit aſsiduuſq́, tenaxq́
Recti, depoſitum doctrinæ voce Lutherj
Fontibus ex ſacris hauſtum conſtanter amauit,
Rettinuitq́ potens zelo ſcriptisq́ diſertis.
Toto animo auerſans rabido cane peius & angue
Fucos & latebras & ſacri dogmatis omnes
De meritis, de iuſticiáque fidéque cothurnos.
Impoſturam etiam (poſt vltima fata Lutherj
Quæ rerum ſpecie, quarum liberrimus vſus,
Inuecta eſt templis) contra conſtantior ibat,
Bella timemus, ais, terræ Germanidos (inquit)
Si moroſi adeò non vlla cedere parte
Et leuiore quidem, nec digna lite velimus:
Quid poſſunt tunicæ, ſacra quid redimicula poſſunt
Vero detrahere? Eia queunt admittier illa,
Si modò diuinæ nobis integra relinqui
Maxima doctrinæ capita impetrare queamus.
O ſtultum humanæ nimiùm rationis acumen,
Non hæc ingenua eſt confeſsio dignaq́ nobis,

Qui ſanctum Chriſti de nomine nomen habemus.
Si terris ſimul & cœlis placuiſſe velimus,
Quid vult illa ſibi ſacri ſimulatio cultus
Diffidensq; Deo veriq; negatio Chriſti?
Pro Chriſto ſummum decus eſt profundere vitam.
O conſtante viro conſtans oratio digna.
Sic quoq; (ſi veterum iuuat acta recludere Vatum)
Cum tumido faceret fucos Eudoxius ore
Quem tum, ſumma, Valens, rerum qui ſceptra tenebat
Amplectebatur præponens omnibus vnum
Et ſtantes contrà tollens crudelibus armis,
Te magnum meritis conſtanti pectore magnum
Te BASILI quondam præfectus Cæſaris, alta
Nobilitate potens, & pollens flumine linguæ
Blandior aggreſſus dictis cum talibus infit,
Magne vir & præſtans noſtri prudentia ſecli
Quem vigor ingenij diuinaq; copia fandi
Euehit, & celebres ſummæ grauitatis honores,
Qui decus eximium, qui lumen totius orbis:
Eſt ſapientis opus venerandam quærere pacem
Deſipientis opus fruſtrà pugnare potenti,
Quando quidem tempus, res ipſa, locusq; repugnant;
Hei fruſtrà niti, nec quid molimine rerum
Triſtibus & curis animi ingentiq; labore
Seq; fatigando niſi ſannas, probra, minasq;
Inuidiamq; odijs comitatam accerſere quidnam eſt?

Stulti-

Stultitiæ extremæ est; felix qui talia cernit,
Felix qui tempus felix obseruat agendi
Dicendiq; modum nouit, formamq; regendi.
Ah quoties aliquis frustrà se frangit & angit,
Nec videt ipsum etiam cœlum se tendere contrà,
Et peiora facit, quæ commodiora fuissent
Non tentata: manus mala, quæ mala vulnera curat,
Vulnera sic curat, totum demittat vt Orco
Sæpe hominem: potior leuis atra morte cicatrix,
Dura quid in duris, vngues quid in vlcere prosunt?
Maximus ex minima subit ignis sæpè fauilla
Si das ligna foco, si subtrahis, halat in auras.
Cedere qui nescit, nescit quoq; vincere: vincit
Qui cedit, vidi cedendo vincere multos,
Et vidi multos pugnando amittere vitam.
Quid sibi subtilis, vult hæc distinctio verbi,
Vt patiare pios ob eam tot ferre dolores,
Causa est exilis, mala non exilia causæ:
Aurea concilia tranquillæ tempora pacis,
Induperatoris meritò clementia grata est,
Ille tibi meritis pro talibus optima reddet.
His sacer Antistes, diuini buccina verbi
Auditis, adeóne (inquit) sapientia mundi
Præponenda Deo sapienti & cuncta potenti,
Talia dic pueris, quid nobis talia dicis,
Congrua sunt pueris, non congrua talia nobis,

Illi etenim & similes illorum talia spectant,
Terq; quaterq; cani sibi promissa aurea gaudent,
Ast innutriti Diuinis flamine sacro
Eloquijs, nunquam patiuntur vt vnica veræ
Littera doctrinæ minuatur, & illita fuco
Ambages inter veri iactetur inanes,
Sed potius si fata velint pro dogmate, probra
Nulla subire timent, & flagra & mille dolores:
Nec dubitant mortem pro relligione paciſci.
Temporis exigui sunt huius tormina mortis,
Mortis at alterius nullius tormina finis,
Ante Dei faciem mors est preciosa piorum
Hoc leue momentum crucis immortalia vitæ
Gaudia & æterni parit ingens pondus honoris.
Cæsaris illustrem quam laudibus euehis amplis,
Ipse etiam, vera sed cum pietate colendam
Prædico amicitiam: pietas nisi pectora iungat
Quicquid amicitiæ est; inimicitia omne putandum est
Non hîc continuit se Satrapa feruidus ira,
Stultitiam obijciens, & cæci pectoris ausus.
Præsul ait: stultus non dedignabor haberj,
Hanc ego stultitiam tibi stultam semper amabo.
Pax, veneranda nequit dici, contraria Christo,
Sit maledictus amor, maledictaq; gratia Mundj,
Quæ sacra diuini violat mysteria verbj.
Ipse Dei natus votis ardentibus orat

A patre,

A patre, nos omnes (sed in ipso) simus vt vnum:
Nam fragrans vt odor, quem spirant balsama, Aronis
Fronte fluit; dulcis sic dulcia munera pacis
A Christo, agnoscit quem sancta Ecclesia summum
Esse caput, columenq; suum, manare necesse est,
Quæ trahit à Christo nostras concordia mentes
Extrema est verè dici discordia digna.
Deserit illusum petulanti scommate miles,
Et nihil vlterius nisi ferrum spirat & ignem.
Sic Polycarpe Dei præco fortissime summæ
Summa tibi laudi constantia digna referrj,
Cum tibi se ferret blasphemus Marcio fingens
Numina bina, pari ratione malumq; bonumq;,
Obuius, & simulans veræ pietatis amorem,
Nósne ait agnoscis, nósne ô Polycarpe salutas,
Respondes: agnosco libens, agnosco furentem
Te primogenitum Satanæ: ô responsio talj
Digna viro: tanta est generoso in pectore virtus.
VVESTPhale sic illo ceu murus tempore stabas,
Impia Sphinx nostras cum sese efferret ad aras
Fraudibus INTERIMens animas veramq; salutẽ,
Quinetiam fidei clypeo munitus adibas
Scrutantes nimiùm sacræ mysteria cœnæ,
Doctus eras fraudes acie explorare sagacj
Argumenta potens spinosa refellere, verbo
Et virtute Dei nitens, cum talibus insis,

Cur tibi

Cur tibi Christe fidem non vult nec gaudet habere
Gens adeò est odio tua cui præsentia? cum sis
Verus & omnipotens nullumq; fefelleris vnquam?
Plus sapit & multò scrutatur acutius omne
Quod pia simpliciter tibi dedita concio credit.
Hoc sapere haud sapere est: talis sapientia nunquam
Sit mea, quæ, dicis quòd tu Deus ipse, negârit,
Tu quia dixisti qui verax, quiq; potens es,
Corpus adesse tuum, tuus à me sanguis adesse
Creditur, & corpus non spirituale sed illud
Corpus pro Mundi quod crimine victima factum
Traditur, & sanguis non spiritualis, at ille
Qui crucis in sancta pro nobis funditur ara,
Sanguis peccato qui nos emundat ab omni,
Non capit hoc ratio, nec vult, sed pectora credunt
Fida, quia est fidei, non est rationis acumen.
His alijsq; velut dux fortis fortibus armis
Arma inimica tenens firmo pede victor abibas.
Hinc coluêre viri te magno semper honore
Candida quos Pietas æternis laudibus effert.
Te fuit ex toto complexus pectore semper
Inclytus Antistes Hamburgi duxq; oculusq;
ÆPINVS populi, quem cultæ gloria linguæ
Et constans animus, fidoq; in pectore robur,
Et chorus illustris virtutum ad sydera tollit:
Illius ingenium illius vestigia seruans

Illius

Illius officij magna cum laude subisti
Munia magna, Deo moderante, volente Senatu,
Cœtibus vt sanctis venerandus Episcopus esses.
Te coluit rector studiorum nobilis ille,
Nobilis ille Dei doctrinæ, flumine linguæ,
Feliciq́ stylo, mentisq́ vigore celebris,
SNEPIVS assertor, præclarus in vrbe Salana,
Quem sibi præclustrem Germania vidit alumnum,
Te quoq́ præteriti BORDINGVS gloria seclj
(Gloria quæ nullo fatis delebitur æuo,
In quo, cum Phœbo pietas certabat & inter
Fulgebat niueos longè pulcherrima mores
Fulget vt Eoas inter Venus aurea stellas)
Audiuit, velutiq́ patrem reuerenter amauit.
Te coluit toto longæuæ tempore vitæ
Lunæburgiaci decus & lux clara Lycej
LOSSIVS, ingenio, meritis, venerandus & annis,
Loßius ingenuo Musarum dignus amore,
Quem Deus incolumem Pylios iam seruat in annos
In moremq́ aquilæ reuirentem flore iuuentæ.
Patria te coluit, patriæ colu^ere parentes,
Te socij colu^ere tui reuerenter amantes
Eximij virtute viri studijsq́ue sacratis,
Innumeriq́ alij, probitas quibus inclyta cordi,
Et meritò colu^ere quidem, memoresq́ tuorum
Semper erunt operum fideiq́ animiq́ue modesti,

Certè posteritas cernens monumenta laboris
Clara tui, nomenq; tuum laudesque probabit.
Optima namq; tuo sunt edita plurima Marte
Ad normam fidei directa, nec edita tantùm
Sed factis expressa tuis vitaq; probata,
Munificaq; manu, sincero pectore & ore,
Donec ad vndecimæ veniens trieteridis annos,
Sacra quibus Christi tractâras præco fidelis
Postq; tot exhaustos animi officijq; labores
Iam digna magno venerandus honore senecta,
Imminui experiens vires & membra rigere,
Cor vitæ fontem stomacho linquente præustum
Bile, vel accessum sibi iam propiore parante
Morte, via: (ceu mille viæ sunt funeris horæ)
Dissolui cupiens & viuo viuere Christo,
Alloqueris tali supremum voce parentem:
Omnia qui condis, qui clemens omnia seruas
Qui tribus es trinus personis, vnus in vna,
Mente DEVS toto grates tibi pectore soluo,
Quod compos rationis homo sum conditus à te,
Meq; adeo ingenti bonus es complexus amore
Vt mihi quæ vitam daret æternamq; salutem
Vnigenam dederis in atrocia funera mortis
Progeniem, summo quæ cunctis vênit olympo:
Notitiæ huius ego donum fideiq; boniq;
Totius antefero thesauris omnibus orbis,

Hoc &

Hoc & ego donum cœli vitæq́ perennis
Voce ſtyloq́ meo iuſſus te præſide præſul
Monſtraui patriæ: tua teſtor numina Chriſte:
Quod benè vel dixi vel ſcripſi cunq́ tot annos
Muneris omne tui eſt, tibi gloria ſumma ſit vnj,
Iamq́ peracta datæ ſunt à te tempora vitæ,
Mortua mens mundo mea pectora dedita cœlo,
Patria nanq́ mihi cœlum veriſſima, mundj
Gloria vana vale: mea, tu rex, gloria, Chriſte:
Tu miſerere mei, mihi debita cuncta remitte,
Ceu mihi qui debent cunctis ego cuncta remitto:
Fido tibi, diffido mihi: funus mihi fœnus,
Mors tua vita mihi, tua crux ſpes certa ſalutis:
O me felicem moriens qui viuo redemptus
Per te vere Deus, me do tibi totus ouantem
Inq́ tuos animam amplexus felix exhalo:
Te duce victor ero, nullum confundar in æuum.
Talia ſæpè iterans, in dulcem lumina ſomnum
VVESTphale feſſa velut declinans, cedere mundo
Viſus es & cœli lætus tranſcendere ſedes
Parte tui potiore, polo quæ ſemina duxit:
Terrea pars terræ cum magno ceſſit honore,
Nunc vbi tempus id expectat, quo in nube micantj,
Nate Dei iudex magno ſplendore videndus
Mille poteſtatum cœleſtum mille volucrum,
Agmine circumfuſo è cunctis finibus orbis

Quatuor ingenti ventorum murmure ad auras,
Corpora de tumulis excîta redire iubebis,
Et (placidas vt oues cornutis pastor ab hircis
Separat) à viuis disiunges mortua, iusto
Iudicio, dans pro meritis sua præmia cuiqúe,
Instar vbi solis virtus quibus inclyta cordi
Sanctaq; iussa Dei, & Christi benefacta fuêre,
Ad veram multos qui deduxêre salutem,
Fulgebunt, & erit Deus omnia in omnibus ipse,
Interea nomen magna virtute paratum,
V Vestphale sancte tibi manet immortale per orbem,
Et tua scripta manent, quæ postera gratior ætas
Et leget & releget scripta euulgata per orbem.
In viuis odium dominatur, amorqúe cupidoq;
Et liuor: cæcis exsilit hinc mentibus, error
Iudiciumqúe adeo varium & sententia discors:
Iudicium verò sublatis talibus œstris
Posteritatis erit iustum: post fata nitebit
Verus honos, summis & verè deniq; in astris,
Nunc vbi lætus ouas animis vereq; beatus
V Vestphale, nosqúe, patri propior patriamq; supremo
Sanctis commendas precibus votisqúe secundis:
Summe Deus filiq; Dei & venerabile numen,
Summe gubernator cymbæ, quæ Ecclesia sancta est,
Protege tot Scyllas inter tristesqúe Charybdes,
Fluctibus in tantis in tantò turbine cymbam,

Tu pa-

Tu patriam defende potens, defende Senatum,
Qui pater est patriæ, columen pietatis & artium
Assertor: defende tuos ornaq; ministros
Vinea magna tua est: messem ne desere Christe.
Tu mihi substitue ô felix præsensq; guberna
Qui typus in vera pietate fideque fidelium
Eniteat, cuius sit conuersatio suauis
Sanctaq; sit Nemesis, mens & sibi conscia recti,
Feruida vota, pudor castus, dilectio flagrans.
Fallor an? audisti Deus optime vota precantis?
Audisti certè: ô quem tu pater alme dedisti,
Serua cum socijs longæui Nestoris annos:
Vnum te norint vnum doceantque colantq;
Vnum sint, velut vna fides & spiritus vnus,
Vnaq; spes, vnum baptisma, vocatioque vna,
Vnicus & Christus ceu corporis vnius artus,
Vt tua fama, tuum nomen, tua gloria crescat.

EPITAPHIVM

SAncta tuam deflens Ecclesia VVestphale mortem
Ingemuit, soluens tristibus ora modis:
Anne vides agiter quo rerum turbine? scisne
Quàm sint rara mihi pectora fida, Deus?
Tollis & è medio mea lumina, lumen & ipsum
Quod prælustre fuit pectore, voce, stylo?
Cui Deus: ô mœstam faciem lacrymasq; fluentes
Conspicor, & quæ sint pectora fida scio.
At nimis affligi, quos diligo, conspicor: ad me
Hos igitur tristi de statione voco.
Percipit emeritus meritò sua præmia miles:
Cœlum, non mundus, præmia vera dabit.
Pectora restituam tibi fida, & lumina fida;
Tu pupilla mei luminis esse stude.

REVERENDO VIRO, DOCTRIna & virtute præstanti, Domino M. HENRICO SCHINCKIO, Pastori Ecclesiæ Gustrouiensis, ciui suo charissimo.

HVnc tumulum patri patriæ vir optime pono,
Ceu cupis, hæc Pietas digna fauore tua est;
Siste tuas mecũ lacrymas, da vota tonanti:
Et cresce in tanti munia magna viri.

Iohannes Frederus.

ALIVD

ALIVD.



Κάλλιμον ἀτρεκέως δῶρον θεοῦ ἐστὶ μεγίστου
Κήρυξ σπουδαῖος θεσπεσίοιο λόγου,
Ἐκ θησαυροῦ ἑοῦ προφέρων νέα ἠδὲ παλαιὰ,
ψευδολόγωντ' ἀθετῶν δόγματα οὐλόμενα.
Τοῖος ἔην πιστὸς συνετόστε διδάσκαλος οὗτος
Βέσφαλος, ὃν φθονερῶς μοῖρ' ἐδάμασσε κακὴ.
Κλαίει γοῦν λιγέως ἐκκλησία, ὀρφανὴ οὖσα
Πρεσβυτέρου τοίου ἀνδρὸς ἐπισταμένου.
Σαῖς ὀΐεσσι λύκοι δολεροὶ κακὰ μηχανάωνται,
Τάσδε σάου δείξας Χριστὲ κράτος σὺ τεὸν.

Iohannes Posselius.

ALIVD.



Οἴμοι τῆς ὀδύνης, ἐκκλησία ἔλλαχε λύπην
Ἄλλην, πῆμα πάρος καίπερ ἔχουσα μέγα.
Βέσφαλος ἦν Χριστοῦ θεράπων πιστὸς καὶ ἀγανὸς,
Νῦν δὲ θανὼν στοναχὰς εὐσεβέεσσι λίπε.
Τοῦτον ἀποφθίμενον κλαίει πατρὶς κατὰ κόσμον,
Ἀμβούργης ἔσβη λαμπρότατον τὸ σέλας.

Γνήσιος

Γνήσιος οὗτος ἀνὴρ Λουθήρου ὑπῆρξε μαθητὴς,
Παιδευτῶν δολερῶν οὐκ ἐπίκουρος ἐὼν.
Μηλοβοτὴρ πιστῶς Χριστοῦ ὃς πῶι ἔβοσκε
Χρήσιμα πολλὰ λέγων, χρήσιμα πολλὰ τελῶν.
Εἶτα δὲ ἀντιδίκων ἀπατήλια ῥήματ' ἔλεγξε,
Καλβίνου κρατερῶς καὶ κατέαξε μένος.
Χαῖρε πάτερ πάτρης, τεὸν ἐνθάδε σῶμα καθεύδει,
Ζῆ δ' ἀεὶ ἡ ψυχὴ πρόσθε θεοῦ ὁσίη,
Καὶ κλείουσα θεὸν πανυπέρτατον, ὕμνον ἀείδει
Ἀκάματον χορῷ ἐν καλλίμῳ ἀθανάτων.
Ποίμνιον εὐμενέως φρούρει τεὸν υἱὲ θεοῖο,
Δοὺς προβάτοις πιστοὺς ποιμένας ἄμμι τεοῖς.

Henricus Schinckius Hamburgensis,
Pastor Ecclesiæ Gustrouiensis

ORA.

ORATIO COMPLECTENS HISTORIAM VITÆ ET OBITVS REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI DN. M. IOACHIMI VVESTPHALI, Hamburgensis Ecclesiæ vigilantissimi Superintendentis, scripta

per

M. IODOCVM METHODIVM.

PRODest omnibus temporibus clarissimorum virorum exempla & historias intueri, præsertim optimorum gubernatorum, quorum vel in Ecclesia vel Politia fidelis administratio communi patriæ salutaris extitit: vt consideratione virtutum, quibus præditi fuerunt, animi piorum excitati magis ad pietatem, fidem, constantiam, & alias virtutes inuitentur. Plurimùm enim talium præstantium hominum τὴ βελτφόρων ἀνδρων imagines omnium oculis & sensibus expositæ ad hoc valent, præcipuè verò ijs in locis, in quibus ingenio, pietate, doctrina & sapientia eximij diu claruerunt, ac in toto vitæ suæ curriculo vsq; ad extremum halitum se tales exhibuerunt, quales esse præsens rerum status requirebat.

Magna autem laus patriæ & ingens decus est, in arduis & difficilibus rebus habere, qui ingenio, doctrina, consilio & authoritate plurimùm valent, ita vt malis præsentibus rectè mederi, futuris pia doctrina & ardentibus precibus ad Deum occurrere, & vel à magnis calamitatibus liberationem, vel earum mitigationem diuinitus impetrare sciant. Flecti enim Deum piorum precibus, sacræ scripturæ historiæ insignes testantur, & illustria testimonia docent. Genesis 18. recipit DEVS, se Sodomis parsurum, si saltem decem iustos in ijs inuenerit: capite 19. Loth intercedit pro oppidulo Zoar, & optatum à DEO responsum audit, Ecce (inquit Deus) etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es, festina & saluare ibi, quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc: Psalmo 106. scriptum est, dixisse Deum, se dispersurum Israëlitas, si non Moyses electus eius stetisset ἐν τῇ θράυσει ἐνώπιον αὐτοῦ, vt auerteret iram eius, ne perderet eos: & apud Ezechielem grauiter Deus inuehitur in Prophetas & alios, quòd sincera doctrina & sanctis precibus se non opposuissent ipsius iræ, cum inquit, Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini, & iterum quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, et non inueni.

Hinc

Hinc licet conſpicere, non ſolùm in quanta ſint authoritate apud Deum ſanctorum preces, ſed etiam quanta mala eorum ex hac vita diſceſſus portendat, quorum felici gubernatione, recta doctrina & pijs precibus Eccleſiæ & Reſpublicæ multo tempore in tranquillo ac incolumi ſtatu manſerunt. Vera enim eſt Eſaiæ prophetia, A facie mali collectus eſt iuſtus: & notæ ſunt hiſtoriæ in libro Iudicum & noſtri temporis: quæ oſtendunt, non leues tempeſtates magnorum virorum obitus eſſe ſecutas.

Cum igitur inter præſtantiſſimos huius temporis doctores, Dominus Ioachimus VVeſtphalus, quem hoc anno, qui eſt à nato Chriſto M. D. LXXIV. Deus ad lætam beatorum conſuetudinem ex hac calamitoſa vita euocauit, meritò ſit habendus: & beneficia Dei per huiuſmodi ſanctos viros in Eccleſiam & Politias collata, omnibus palàm nota & conſpicua eſſe debeant: vt videlicet dona eximia, quæ Deus Eccleſiæ hiſce temporibus in organis ſalutaribus & miſericordiæ vaſis largitus eſt, gratis animis agnoſcamus, nec non illuſtria fidei, conſtantiæ in confeſſione, omniumq; cæterarum virtutum exempla ſemper in conſpectu ſint: Eiuſdem VVeſtphali viri clariſſimi, & omni virtutum ac doctrinarum genere ornatiſſimi, ortum, educationem, ingenium, in literis profectum, vitam ac mores, vocationem, in vocationis

laboribus sedulitatem & fidelitatem, & res piè ac feciter in Ecclesia per DEI gratiam gestas, cum eae rundem euentibus, deniq; ætatem cum integritate vitæ transactam & pium exitum, narratione continua, ordine & fideliter, Deo fauente, exponam. Ex his enim omnibus satis manifestum erit, singulare Dei donum in hoc viro ita eluxisse, vt difficilimis hisce temporibus quoddam lumen esset patriæ, accensum diuinitus, & supra candelabrum positum; hanc ob causam, vt doctrina, per Prophetas & Apostolos à DEO nobis tradita, & per reuerendum organum Lutherum ex densissimis tenebris Papisticis eruta, repurgata & in lucem reducta, contra tot & varias impiasq; sectas illustrata defenderetur, & in omnibus partibus pura & incorrupta conseruaretur: nec solum in patria maneret inuiolata, verumetiam ad exteras nationes integra dimanaret. Id enim summa vigilantia & indefesso studio VVestphalus est conatus, & Deo gratiam dante sedulò quoq; præstitit, vt non tantum viuo Doctore Aepino, (cuius sincerum de hoc viro non est ignotum iudicium) sed etiam post illius mortem hæc inclyta vrbs & Ecclesia Hamburgensis ab impijs Antichristi dogmatibus, omniumq; aliarum pernicioſarum sectarum erroribus vniuersis tuta & incontaminata floreret, inprimis autem contra illam latè grassantem Sacramentariorum & Anabaptista-

rum

rum luem defensione veræ & diuinitus traditæ doctrinæ confirmaretur. Hoc verò non sine grauissimo certamine, & intentione ac labore assiduo esse factum, scripta eius contra Caluini sectam, cæteræq; conciones omnes, quas magna ex parte descriptas posteris reliquit, reipsa declarant.

Initio autem de parentibus V Vestphali quædam paucis referenda sunt: vt mirandum consilium D E I in hoc & similibus piorum Doctorum exemplis consideretur, quòd subinde in Ecclesia etiam ex infima & abiecta, vt putatur, plebe salutares doctores & donis singularibus ornatos excitet. Hinc Maria canit, Dominus respexit humilitatem ancillæ suæ, deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles: & Apostolus Paulus 1. Cor. 1. hoc D E I peculiare opus commendans scribit, Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere, verum, quæ stulta erant coram mundo, delegit Deus, vt pudefaceret sapientes: & Petrus ait, Deum humilibus dare gratiam. Christus ipse non nascitur Hierosolymis, sed in Bethlehem exiguo & humili oppido: non ex muliere dignitate pontificia celebri, sed ex virgunculaobscura & ignota. In electione Dauid in regem Israël Dominus ad Samuelem dixit, Non respicias vultum eius, neq; altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iu-

dico, homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor, surge, inquit, & Dauid, qui omnium filiorum Isai natu minimus est, unge. Hoc singulare DEI opus postea etiam Dauid ipse magnificè celebrat Psalmo 113 hisce verbis: Quis sicut Dominus DEVS noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra, qui humilem ex puluere erigit, & de luto exaltat pauperem, vt collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui. Quæ Psalmistæ verba VVestphalus triduo ante mortem, cum singulis ex fratre pronepotibus à puella natu minima exorsus benediceret, in etymologia nominis Ioachimi, (quo vnus è pueris vocatur, quia ei testis & fideiussor ad Baptismum astiterat) recitauit, additis his versibus,

Disponente Deo nomen mihi contigit aptum,
Ex humili fecit surgere namq; loco.
In Cathedram statuit miserum de puluere tractum,
Contulit omne bonum gratia sola mihi.

Etsi autem natus est VVestphalus in inclyta vrbe Hamburgâ, ordinata honestis legibus, & vera Religione, iusticia ac disciplina florente, & peculiariter ornata hoc insigni testimonio, quod foueat Ecclesiam Dei, & in iuuandis literarum studijs officiosa sit: & patria benè morata non paruum addit viris ornamentum, vt etiam propter dignitatem & celebritatem

patriæ,

patriæ, si non omnino degeneres sint, amentur ac promoueantur: tamen ab exili eum loco progressum esse nequaquam dissimulamus. Et nemo sanus id ipsi dedecori esse iudicabit, quin potius statuet, magnum hoc ipsi splendoris cumulum attulisse. Gloriatur & honorificum sibi ducit Cicero, quod suis præluxerit maioribus. Et noti sunt dulcissimi de Agathocle Rege Ausonij versiculj:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpè onerasse luto,
Ferculaq; gemmatis cum poneret aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiemq; simul.
Quæsitus causam, respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Dives ab exili progrediere loco.

Vt igitur hi sibi duxerunt laudi, quod humili loco nati ad culmen honoris euecti essent: ita quoq; non exiguum decus attulit Ioachimo VVestphalo, quòd vulgaribus natus est, ijsdem tamen honestis parentibus. Pater Nicolaus VVestphalus faber lignarius, & coniunx Alca, honestè victum quæritando ambo piè vitam transegerunt, habuerunt q; duos filios & filiam vnam, quos in disciplina & correptione Domini diligenter educarunt, ac, vt discerent literas, & à primis annis ad virtutem assuefierent, tempestiua ætate in scholas mise-

miserunt. Inde igitur à teneris vsq; Ioachimus literis humanioribus imbutus nullum tempus ociosè præterlabi est passus, sed cæteros condiscipulos omnes studio antecelluit, ac feliciter profecit: ita, vt ingenium eius atq; indoles probè cognosci posset, & spes non dubia conciperetur, in talem virum aliquando eum euasurum esse, cuius eruditione & industria in posterum Ecclesia & Respublica vterentur.

Primùm autem frequentauit Scholam Hamburgi ad S. Nicolaum, quæ tum fuit præcipua: (nondum enim ea, quæ nunc est ad D. Iohannem, instaurata erat) in qua prima elementa artium docendi, Grammaticæ, Dialecticæ & Rhetoricæ fideliter percepit, adiunctis crebris tam in ligata, quam soluta oratione styli exercitijs: in quibus tantum progressus est, vt paulatim in grauioribus materijs ingenij sui vires experiretur, & multa memoriter percipiendo fructum immensum sentiret. Deinde Luneburgi in Schola monasterij, quod à sacro valle nomen habuit, aliquot annos præceptore vsus est Erasmo quodam, qui postea Susati ministerio Ecclesiastico functus senior ante paucos annos ad D. VVestphalum veteris noticiæ & familiaritatis renouandæ gratia literas misit.

Luneburga discessit VVitebergam, ciuis cuiusdam Hamburgensis patrocinio adiutus: vbi mansit, donec gradu Magisterij Philosophici insigniretur, quo adepto

fuscepto Hamburgum vocatus est, vbi in Scholæ D. Iohannis secunda classe præceptoris officio aliquandiu est functus. Hospitem eo tempore habuit M. Iohannem Scroderum virum senatorij ordinis, & doctrina ac consilijs potentem, qui præstantiam ingenij singularemq; eruditionem atq; modestiam in eo animaduertens effecit, vt ampliore stipendio donatus in Academiam rediret. VVitebergam itaq; est reuersus: vnde mox peste vrgente discedens, Ienam sese contulit: vbi non diu commoratus Marpurgum profectus est. Postea Erphordiæ cum D. Conrado Gerlaco, (qui deinceps longo tempore fidelis collega & summus illius amicus fuit in ministerio ad S. Catharinam, vbi adhuc is ministrum verbi agit) familiariter vixit. Sebastianum Munsterum Hebræam linguam profitentem audiuit Basileæ. Tandem reuersus VVitebergam, non solùm D. Lutherum, Philippum Melanthonem, cæteroſq; optimos Professores sedulò secutus est, vt solidiorem ab ijs eruditionem, & cognitionem doctrinarū assequeretur: sed et ipse priuatim adolescentes instituendo, prælegendo, disputando, alysq; necessarijs exercitijs sibi & alys plurimum profuit. Et cum ipse esset amans disciplinæ, eam quoq; studiosè exercuit cum ys, quos, vt studia & mores eorum informaret, sibi commendatos susceperat. Non passus est eos leuibus & intempestiuis ludis, commessationibus &

ignauis ocijs indulgere, quibus optima pars temporis à plerisq; malè impenditur, & bonæ horæ sine vllo fructu præterfluunt, vel stipendia ab alijs collata nihil proficiendo abusu turpiter consumuntur. Quos autem deprehendit in ocio, vicijs & genio indulgentes viuere, grauiter coërcendo illorum negligentiam ad libros & studia reuocauit. Interea dum sic popularibus suis, & alijs priuatis discipulis inseruiuit: occasione oblata subinde in templo quoq; habuit conciones, vt ad Ecclesiasticum munus deinceps subeundum sese præpararet, finemq; suorum studiorum consequeretur, nempe verbi diuini professionem, cui se totum dedicauerat.

Hæc optimi viri M. Iochimi VVestphali industria cum laudem apud omnes mereretur tantam, vt iam virtus eius in patria magis innotesceret: cumq; vel philosophicæ vel Theologicæ professionis conditionem in Academia Rostochiana sibi oblatam adire planè decreuisset: moritur illo ipso tempore D. Stephanus Kemp pastor Hamburgensis ad S. Catharinam. Deliberatione igitur facta inter Dominos & Iuratos illius templi de alio in locum defuncti constituendo, & communicato consilio cum inclyto Senatu: magno & honorifico suffragio M. Ioachimus VVestphalus, in Pastorem ædis D. Catharinæ eligitur & ordinatè vocatur. Quia autem non libenter prius propositum mutabat,

tabat, Senatum vocantem de sua voluntate per literas certiorem reddidit, & pro honorifica illa æstimatione modestè gratias agendo, obnixè rogauit & monuit grauiter, vt propter gloriam Christi, & Ecclesiæ salutem benignè rem animo consideraret, & excellentiorem aliquem ingenio & doctrina virum Ecclesiæ tantæ prospiceret: significans se ad tam sublime munus capessendum & administrandum suam infirmitatem ac virium imbecillitatem agnoscere, & iustis ac arduis rationibus motum prius oblatam conditionem petere, quæ si concederetur, nihil sibi iucundius atq; optatius accidere posse, idq; ex re fore non solùm patriæ, sed etiam aliarum ciuitatum ac regionum. Tandem tamen, instantibus Dominis ac Iuratis, & Senatu electionem approbante, intercedente quoq; graui authoritate, Reuerendi viri D. Aepini Superintendentis, cuius sollicitam pro Ecclesia curam & optima consilia parui æstimare non licebat, legitimæ ac iustæ vocationi obtemperauit, considerans, Dei voluntate totam actionem regi, & se, quicquid gratiæ ac donorum à clementissimo Deo accepisset, inprimis patriæ & Ecclesiæ Dei prompto animo deferre debere. Ne autem videretur præsens munus præter expectationem oblatum ambitiosè petere, aut vehementer ambire: Ecclesiæ liberum de eo reliquit iudicium, vt consilio ab omni parte satis ponderato, si quem alium ingenio

& doctrina maiori præditum, & optimorum testimonijs ornatum, ad Ecclesiam illam verbo Dei pascendam magis idoneum arbitraretur, eidem hanc prouinciam demandaret.

Cum igitur M. Ioachimo publicum ab Vniuersitate VVitebergensi pietatis, doctrinæ ac virtutum insigne ac clarum testimonium, esset datum: idq; eò libentius, quòd scholæ et studijs discentium vtilissimam operã nauasset: ac quòd D. Lutherum, (cuius mensa et familiari colloquio vsus erat) tot annos grauiter differentẽ, de varijs doctrinæ controuersijs frequens audiuisset, ac ab eo salutaris doctrinæ fundamenta in omnibus articulis ipso Euangelij restitutionis tempore fideliter percepisset, atq; in tanta discendi occasione ita esset progressus, vt iam appareret, opera ipsius Ecclesiam indigere, ideoq; iussus sæpè pro concione populum docuisset, aliaq; necessaria ad ecclesiasticum ministerium rectè obeundum officia lubens feciisset: cum etiam non deessent ipsi priuata eius temporis clarissimorum hominum, Philippi, Pomerani & aliorum rectè iudicantium testimonia: non imparatus: aut illotis (vt aiunt) manibus, sed veræ Christianæ doctrinæ cognitione satis instructus, & iudicio de omnibus doctrinæ sacræ controuersijs sincero confirmatus, tempestiuè admodum in patriam Hamburgum ad ministerium Ecclesiasticum vocatus venit, anno ætatis suæ tricesimo,

cum an-

cum annos circiter tredecim in Academijs laudabiliter degisset.

Ecclesiæ itaq; ad D. Catharinam, pij Pastoris officium in timore Dei ferè vltra triginta annos fideliter faciendo, in sermone laborans & in dilectione, vtiliter præfuit. In illo temporis spacio multas pias & salutares conciones ac enarrationes sacrorum librorum scripsit: ex quibus manifestè conspicitur, quantum laboris, studij & industriæ in pura & incorrupta doctrina propaganda sibi sumpserit, quàm ardens fuerit studium defendendæ ac retinendæ veritatis, quàm veris, simplicibus, propriis & significantibus verbis in explicatione vsus sit. Ne autem quis momus, aut contemptor iustam cauillandi ac reprehendendi causam haberet: numerum suarum concionum, in postrema earum, quas in templo D. Catharinæ habuit, cum nimirum illi Ecclesiæ suum cogeretur officium resignare, indicauit. In eadem concione summam doctrinæ à se tot annos publicè in illa æde prædicatæ repetiuit, addita hac protestatione, si cui aliquid in ijs sermonibus vel scriptis reprehensione dignum visum esset, aut adhuc arguendum videretur, ei quolibet tempore ex ijsdem bonam rationem reddi posse. Ideo enim se magna ex parte omnes suas conciones integrè descriptas conseruasse & conseruatas post se relinquere.

Reliqua eius scripta contra Anabaptistas, Sacramentarios, & alias sectas, quorum nonnulla ipse edidit, nullum pijs rectè sentientibus est dubium, quin vtilissimam & maximè necessariam operam toti Ecclesiæ Christi præstiterint. Venenata enim illorum tela, scuto fidei retusa & abacta ex vero & nativo sensu scripturæ, quem Christus nos docet, discutiunt & tanquam leues ac inutiles paleas à vento agitatas, dissipant, firmissimis argumentis oppositis, quibus sancta Ecclesia Catholica nititur, quorum non humana ratio, sed Spiritus sanctus ipse author est. In hunc vsum quoq; plurima eademq; insignia ac perspicua testimonia & sententias patrum orthodoxorum Augustini, Cyrilli, Ambrosij, Hilarij, Chrysostomi & aliorum collegit, existimans, antiquitatis quoq; doctrinam & confessionem, vbi cum norma S. scripturæ, & nostrarum Ecclesiarum confessionibus rectè congruit, in promptu habendam, & in disceptationibus de doctrina adhibendam esse. In quo vtilissimo labore tanta vsus est vigilantia & industria, vt ex tomis Augustini, & alijs veteribus doctoribus collegerit, ac propria manu descriptas in aliquot libros digesserit sententias. Hoc opus & hic labor, suas certas horas, summam assiduitatem, & magnum iudicium requisiuit.

Hoc ardenti studio, & indefesso labore VVestaphalus

phalus tantam sibi in doctrina πληροφορίαν comparauit, vt non solum contra quaslibet impias sectas, & corruptelarum authores immotus certaret: sed & fucosas conciliationes cum hostibus veritatis sæpè frustra tentatas, prompta ac graui oratione refutaret, constanter dissuaderet, ac certissimas rationes è sacra scriptura adferendo damnaret. Christum dicebat cum Belial conciliari non posse: luci cum tenebris nihil esse commercij: Inimicitias inter semen mulieris, & semen serpentis positas, fucosis conciliationibus, aut vllo aliquo rationi plausibili modo non tolli, neq; etiam vnquam sublatum iri. Affirmabat autem, nullam esse ad stabiliendam concordiam & tranquillitatem Ecclesiæ viam rectiorem, quàm si sinceri doctores, pastores & ministri Christi fideliter, quisq; pro suo dono, suum faciant officium: simplicem veritatem iuxta normam verbi diuini in scriptis Propheticis & Apostolicis compræhensam docendo, & perplexam, incertam, impiam & falsam doctrinam, adeoq; omnes errores & corruptelas, liberè damnando & reijciendo: siue id mundo placeat siue displiceat, siue Sathan & omnes impij plorent siue rideant. In hac autem parte quam nihil à vero aberrauerit, Ecclesia Dei testis est, quæ semper inde vsq; ab initio errores atq; hæreses damnauit. Deus etiam ipse hanc Ecclesiastici muneris præcipuam partem ab omnibus verbi diuini præconibus

nibus serio mandato passim in sacra scriptura exigit: Esa. 58, Clama, inquit, ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo iniquitatem, Iohan. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, Tit. 1. Redarguito eos seueriter, vt sani sint in fide &c. Et exempla Prophetarum, Christi & Apostolorum, quorum plurima extant in concionibus ipsorum, idē monent. Maximè itaq; necessarium, et longè vtilissimum opus est, hisce præsertim temporibus, eorum, qui in puritate doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ contra tot pernicioſas sectas tuenda & retinenda omne studium, omnemq; operam impendunt, ideoq; ortos & sparsos errores ac dogmata palàm falsa, cùm aliter id efficere nullo modo possint, apertè taxent: ne incauti plausibili eorum specie decepti, & ludibrio mali spiritus seducti, agnitam lucem amittant, ac densioribus tenebris rursus occupentur. Non minor est virtus (inquit ille) quàm quærere, parta tueri. Quæ virtus (teste Paulo) cùm omnibus Christianis in veræ Religionis possessione est conseruanda, tùm pijs ministris Christi & fidelibus œconomis mysteriorum DEI in primis conuenit, in hac præsertim vltima & effœta mundi senecta. Sathan enim per sua organa horribilius nunc, quàm vllis antea temporibus, furit, vt Euangelij lucem penitùs extinguat, & ex multorum animis veritatem & fidem extirpet. Plurimos verò, non sine

magno

magno Ecclesiæ scandalo & detrimento ab agnita veritate post discessum Lutheri defecisse, & adhuc plurimos recedere, ac tetros furores sectari & amplecti, ipsa experientia testatur: de quibus in prima Canonica Iohannis sic scriptum legimus, Antichristi multi ceperunt esse, vnde scimus nouissimum tempus esse, è nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum. Huic malo resistere, vera doctrina & ardentibus precibus, piorum Doctorum adeoq; omnium fidelium ministrorum officium esse quis non videt.

Quàm igitur vtile & necessarium sit Ecclesiæ omnibus temporibus, vt Deus tales det pastores, doctores & ministros, qui non solùm vnanimiter veram doctrinam sonent, sed eandem quoq; contra Sathanæ & organorum eius præstigias & mendacia propugnent, ac grauissima certamina pro defensione incorruptæ veritatis sustineant: ex seria illa Christi commonefactione intelligitur, vbi ad Apostolos suos dicit, Vos estis sal terræ, quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? ad nihil valet vltra, nisi vt proiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Sal enim infacuatus sunt ministri, qui in reprehendendis erroribus nullam habent acredinem. Et apud Esaiam canes dicuntur qui non possunt latrare, hoc est, ad falsa dogmata vel vicia auditorum, aut in gratiam magistra-

tuum aut quæstus causa conniuent. Ij non solùm Deo inuisi sunt, sed etiam pedibus Ecclesiæ conculcabuntur, & contemptui habebuntur. Non frustà Apostolus Timotheum hortatur, vt prædicet sermonem, instet εὐκαίρως ἀκαίρως, arguat, increpet, admoneat, cum omni patientia & doctrina. Huic Pauli præcepto vt obtemperetur, his postremis potissimum temporibus, necessitas Ecclesiæ requirit. Tempus enim erit, inquit, cum sanam doctrinam non ferent, sed iuxta concupiscentias suas, coacernabunt sibi ipsis doctores, siquidem illis pruriunt aures, & à veritate auertent & ad fabulas conuertentur. Per Ezechielem Prophetam, Deus grauiter minatur illis, qui faciunt puluinaria hominibus sub brachijs, & ceruicalia sub capitibus, tàm iuuenum, quàm senum, ad capiendas animas propter pugillum hordei, & fragmen panis, hoc est, qui parui vel vilis quæstus causa non faciunt suum officium, non rectè docent legem & Euangelium, non seriò dereprehendunt falsa dogmata & alia vitia in populo, Dei verbum ad gratiam potentum & suam auaritiam detorquentes, & ministerij fidelitatem, quam Apostolus ab omnibus Christi ministris requirit, postponentes.

Hæc seria mandata Dei, & has seueras ipsius comminationes in timore Dei semper considerans D. VVestphalus, vt exemplo esset alijs: in directione cordis am-

dis ambulans, iusta sui muneris officia fideliter præstitit, & cæteris, idem vt facerent, assiduus hortator fuit. Ex Dei igitur præcepto toties inculcato, ex diuinis comminationibus in Apocalypsis cap. 13. & alibi repetitis plurimisq; totius Historiæ Ecclesiasticæ productis exemplis grauissimè ostendit, quàm omnibus temporibus periculosum sit & fuerit Ecclesiæ, puram & incorruptam doctrinam Christi, cum corruptelis, quas falsi fratres fingunt, confundere, atq; ita vera & falsa cœtui Ecclesiastico simul obtrudere, simplicisq; veritatis habere loco, & tot ac impiarum sectarum falsas opiniones Samaritica quadam confusione, veræ Christianæ religioni aut implicare, aut æquiparare. Itaq; vir doctus ex verbo Dei pijs & salutaribus consilijs, & monitis instructus Ecclesiæ Hamburgensis saluti in timore Dei consulens, sollicitè cauit, ne quid ea verbo & voluntati Dei contrarium reciperet, quo non modo Deum offensura, verumetiam alijs scandalo esset futura. Ita iustis modis & DEO placentibus stabiliri & conseruari piam pacem & tranquillitatem Ecclesiæ maluit, quàm iniustis etsi plausibilibus turbari. Ad hoc, cùm integram Ecclesiæ historiam benè nosset, & acta, consilia, plurimas deliberationes, earumq; certos euentus, assidua lectione, magna industria, longo vsu atq; experientia obseruasset, ac diligenter annotasset: in memoriam ea, quo-

ties neceſſe erat, reuocare, & quolibet loco ac tempore ad præſentem caſum & oblatum negotium prudenter accommodare ſciuit.

Proinde inter res ab eo fœliciter adminiſtratas iure recenſeri debet, quòd in difficilibus cauſis, ſiue publicam ſiue priuatam ſalutem ſpectantibus vndecunq; allatis, prompta & firma dabat conſilia, & commodum negotijs ordinem & proceſſum, quem plerumq; felix comitabatur euentus, monſtrabat. Verba erant ponderata, electa, rebus conuenientia, & negotijs accommodata: oratio concinna, neruoſa, rebus & ſententijs conferta, βραχύλογος, qualis in ſapiente antiquitate laudatur, rotunda, depreſſa, non affectata, nihil habens inſolentiæ, nihil faſtus, nihil ſupercilij, non præceps aut incogitans, qualis adhuc ex ſcriptis & dictatis eius animaduertitur. Inter agendum ſubinde hæc repetens in ore habuit, Feſtina lente, Ye mit wyle / Qui tardius venit, etiam venit: vt & in illis ſententijs, quas paulò ante mortem edidit res grauiſſimas complectentes, hoc diſticho confirmat,

Conficies iter incedens etiam pedetentim,
Et res efficies, non minus accelerans.

Hoc præceptum ſiue aſſuefactione quadam, & proprio ſtudio, ſiue ſingulari quodam naturæ ductu (habet enim quiſq; ſuum in pronunciando donum) ſequens in publicis concionibus, prælectionibus & in familiaribus col-

bus colloquijs, voces cum tarditate quadam, non tamen pijs auribus efferebat. Nullam concionem habebat, aut lectionem dictabat, nisi à famulo prius descriptam, relectam, multumq; præmeditatã: vt eadem etiã verba, easdemq; sententias memoriter tanquam ex charta recitaret & latius eadem significantioribus vocibus enarraret, ac exponeret, rerumq; explicationem certa methodo ac integris periodis inter se aptè cohærentibus includeret. Quæ ratio dicendi etsi tædiosa est vulgo: tamen doctis & intelligentibus probatur: & ipse VVestphalus ad doctrinæ genuinam, veram ac methodicam enarrationem, multum se iuuari tarda ac sedata pronuntiatione dicebat. Lutherus eam concionatori conuenientissimam & commodissimam viam esse dixit, vt faciliore negotio singula rectius cogitata, & mente voluta, diligentius explicentur. Ab eodem Cicero ob tardam elocutionem laudatur, qua audientium animos studuit ac potuit permouere. Singularem enim emphasin habet oratio breuis & neruosa optimisq; scatens rebus, quas loci communes cum delectu ad præsentem materiam adhibiti suppeditant. Nam paucis multa complectitur, & lectorem vel auditorem ad doctrinas rectè percipiendas attentiorem reddit.

Cum ergò reuerendi viri M. Ioachimi talis fuerit oratio, qualis doctis hominibus artem scientibus placet,

eet, quis non iure hanc laudem ipsi tribuat, quod nihil inconsideratè, nihil inconcinnè, nihil præcipitanter sine bono fundamento dixerit aut egerit, cuius eum postea pœniteret, vt quidam fictis pasquillis impudenter mentientes de hoc viro sparserunt?

Modestis, pijs & eruditis sermonibus rectè etiam gestus, grauitatem præ se ferentes, conueniebant. Erant enim sedati tàm in suggestu, quàm in alijs honestis conuentibus & colloquijs: corpore quietus stabat, & animi sensa ore diserto distinctè proferebat: vix manus extra manicas protendens, nisi cum aliquid emphaticum textus & materia daret in veræ religionis aduersarios, quod in Solone Æschinem laudasse inter actionis præcepta recenseri solet.

Omnia viri consilia, dicta & facta in arduis rebus tam priuatis, quàm publicis, ex bono, solido et stabili fundamento profluebant. Et quamuis magnis varijsq; casibus iactatus multumq; exercitatus, ac longa experientia edoctus, quid in qualibet re consilij capessendum, & ad quem finem tutò perduci illa possent, facile cernebat: tamen in sua solius sententia non hærebat adeo pertinaciter, vt non libenter quid id Collegis Pastoribus, cæterisq; symmystis consultũ videretur, audiret, vel rectiora illorũ iudicia in mediũ allata amplecteretur. Suæ vero sententiæ cũ non nisi grauissimas rationes monstraret, quis nisi monstratis melioribus eas ausus erat improbare?

In cu-

In curandis & ſanandis Eccleſiæ vulneribus, ac principijs morborum tempeſtiuis remedijs obſtando, per Dei gratiam feliciter laborabat, cum non ſuperficialiter ab extra, vt dicitur, ſed ab intra diſſidiorum cauſas (vt periti medici in morborum corporis curatione facere ſolent,) noſſet & eaſdem tollere, parteſq; diſiunctas ad vnanimem ac piam ſententiam iuxta normam verbi diuini colligare, & ſolidè conciliare conaretur. In tali autem ſanatione, non alio vtebatur remedio, quàm verbo Dei, ſine quo omnis in hoc corpore, quod eſt Eccleſia, infelix eſt curatio. Summa igitur huius doctoris ac boni paſtoris fuit intentio, vt ne grex Chriſti, cuius curam habebat, ab vnitate ſpiritus & puritate cœleſtis doctrinæ, tanquam à recto tramite deuiaret, aut in vlla fidei parte vacillaret: ſui eſſe officij arbitrans, gregi attendere, & cauere, ne ſe viuo Eccleſia ſuæ curæ commiſſa aliquo errore & ſcandalo turbaretur, ſed vt ſtatum illius poſt ſe tranquillum relinqueret. Itaq; cum motas alibi diſſenſiones ſciret, (quarum multas non ſine magno periculo & turbatione Eccleſiarum noſtra ætate excitatas fuiſſe & pleraſq; adhuc vigere conſtat,) omni ſtudio & vigilantia laborauit, vt contagia illa ab hac Eccleſia procul arcerentur. Si quando autem noxium quid ac pernicioſum in Eccleſia oriri ſenſit, id tempeſtiuè ac prudenter repreſſit & ſubmouit.

Non

Non passus est tranquillitatem & concordiam inter Euangelij ministros, feliciter acquisitam & stabilitam præter rem labefieri, vel quoquo modo rursus diuelli: præsertim cum sciret nostram Ecclesiam in omnibus Christianæ doctrinæ partibus rectissimam sacræ scripturæ normã sequi, et in docendo cum Propheticis et Apostolicis scriptis, tribus symbolis, Augustana confessione anno 30. exhibita Carolo V. eiusq; Apologia, Smalcaldicis articulis, scriptis Lutheri, cumq; confessionibus à se contra Interim, Papistas, Synergistas, Sacramentarios, & monstrosa consilia adiaphorica editis, cumq; tota orthodoxa Ecclesia, vnanimiter consentire.

Porro cum in magna esset existimatione et authoritate, quæ plerunq; in oculos incurrere & plurimum ponderis habere solet: non solùm Hamburgensis Ecclesia eius fide, doctrina, prudentibus ac salutaribus consilijs freta & optimè gubernata in tranquillo statu mansit & adhuc manet: sed & aliæ Ecclesiæ in necessarijs ac difficilibus negocijs consilium & operam ipsius sæpè requirebant. Hinc ferè quotidie ipsi ex alijs Ecclesijs epistolæ & scripta offerebantur, quæ viro, alioqui assiduis laboribus satis onerato, tantum facessebant negotij, vt etiam, cùm alijs sui ministerij officijs non esset occupatus, nullum propemodum à scribendis literis ocium ipsi extaret reliquum.

In de-

In decennio illo, quo Ecclesia Hamburgensis Superintendentem, non habuit, & prudentissimi Senatus consilio, auxilio & authoritate ministerium antea inter se disiunctum in optimam & vtriq; parti tolerabilem concordiæ formam restituendum esset: tota negotiorum & laborum moles seniori incumbebat. Ad hanc illius summam diligentiam cum cæterorum quoq; Pastorum pietas, fides, diligentia atq; promptitudo accederet, ipsiq; adiumento esset: cunctæ res optimè administratæ rectius ac felicius procedebant. Fuit igitur in illo interregno post dissensionem amotam, & factam pacificationem, iucundissimus totius Ecclesiastici ministerij, Senatus, ciuiumq; in doctrina consensus, qualis adhuc per Dei gratiam durat, &, Deo benignè concedente, deinceps durabit.

In his omnibus cùm inclytus Senatus Hamburgensis huius reuerendi pastoris ac boni senioris VVestphali, fidelitatem, integritatem & constantiam antea quidem satis perspectam, tùm verò inprimis benè accurateq; exploratam haberet: & iam, propter peregrinorũ hominũ ex locis suspectis ad nostram ciuitatem affluentium, et hospitia, habitationesq; petentium cum ciuibus nostris conuersationẽ, noua metueret dissidia ac pericula: ne nostra Ecclesia & cũ illa tota ciuitas in discrimẽ veniret, cũ maximo Consulum, totiusq; Senatorij ordinis et singulorum suffragio, triũ quoq; Pastorum, adeoq;

ministrorum omnium facili consensu & approbatione ad munus Superintendentis eum elegit, vocauit & constituit. Quod etsi inuitus suscepit, prouectam ætatem & languidas vires iam senio & longo labore confectas prætendens: Ecclesiæ quoq; longè vtilius fore affirmans, si quis viridioris ætatis sincera doctrina, animiq; & corporis viribus pollens ad hanc Episcopalem functionem ordinariè eligeretur; cuius inspectione diligenti, salutari doctrina, pys precibus & consilijs in grauibus causis huic Ecclesiæ Hamburgensi diu multumq; tutò frui liceret, quiq; præsentibus malis & periculis ouile Christi vndiq; tùm infestantibus par esse præstantissimis & summa fide dignissimis videretur: tamen vnanimis totius Senatus & Pastorum, quorum sententiam reliqui ministri quoq; secuti sunt, optima iudicia & consilia præualuerunt. Tandem itaq; in illo amplissimo Dominorum consessu, diuinæ voluntati cedebat, & dignissimæ vocationi reuerenter obtemperabat, XXIX. Augusti, anno à nato Christo M.D.LXXI. Introductio verò solennis in templo D. Petri facta est XXX die octobris, eodem anno per Consules, D. ALBERTVM HACKEMAN, D. HERMANNVM VVETKEN & D. EBERHARDVM MOLLERVM & per tres pastores D. Cyriacũ Simon, M. Dauid Pensborn & M. Nicolaum Staphorst,

horst, reliquo ordine senatorio præsente: Pastore verò ad S. Petrum nomine Ecclesiæ ipsi officium Superintendentis demandante & Ecclesiam ad obedientiam exhortante, materia ex loco Epistolæ ad Ebræos cap. 13. sumpta.

Ab eo tempore, quemadmodum in toto pastoratu suo fidelem se seruum Domini exhibuerat, ita super maiora collocatus similiter in omnibus ad hoc sublime munus pertinentibus officijs, diligentiam, constantiam & fidem suam Ecclesiæ vsq; ad mortem probauit. Ecclesias in vrbe, & extra vrbem, sub Senatus Hamburgensis territorio sitas piè & laudabiliter iuxta præscriptam ordinationem rexit. Synodos duas in duobus sui Episcopatus annis habuit, in vtraq; Senatus nomine assidentibus D. Ioachimo Holthusen et D. Henrico Vam holte Senatoribus: in quibus ita procedebat, vt manè hora nona recitaret orationem quandam, de rebus ad ædificationem Ecclesiæ vtilibus & necessarijs commonefacientem: post prandium autem in altero consessu quemq; sui officij ex ordinantiæ libro adhortaretur. Duas itaq; orationes Synodales habuit, quarum prior anno 1572. de Episcoporum & Ministrorũ Ecclesiæ Christi officio ex vtraq; Epistola Apostoli Pauli ad Timotheũ proposita, altera sequenti anno de εὐλαξία in Ecclesia seruanda ministros admonet. Duas quoq; recitauit in consessu ministrorum Ecclesiæ

quarum vna, à qua publicas lectiones inchoauit, exhortationem continet Apostoli Pauli ad Episcopos & presbyteros ex 20. cap. Actorum Apostolicorum, altera de vitanda πολυπραγμοσύνη seu curiositate doctrinam & commonefactionem maximè necessariam & vtilem Ecclesiæ omnibus temporibus proponit. Atq; has duas postremas ante obitum orationes iuxta fundationem primæ lecturæ in S. Theologia, ante annos CLXXVI. per quendam Canonicum Iohannem Vrietze Magistrum artium fundatæ, ipse publicè in lectorio recitauit Anno 1573. Accessit his vltima post mortem illius edita, quam admodum infirma ac debili valetudine affectus conscripserat. eam si vita superstes mansisset, ni fallor, ad futuram Synodum reseruaturus: in qua ex verbis Apostoli Pauli 1. Corint. 4. (sic nos existimet homo vt ministros Christi &c.) grauissima exhortatione Ministerium Ecclesiasticum à sublimitate sua commendat, & quid quanta q; res sit esse ministrum Christi ostendit: deinde fideles ac infideles proprijs suis coloribus, quibus ab ipso Spiritu S. descripti sunt, depingit, & quem q; ad fidelitatem hortatur, sine qua nullum officium administrari piè & rectè potest.

Patientia eius in laboribus tanta erat, vt etiam tùm, cùm admodum debilis esset valetudo corporis, nec frigus ferret, quod tunc erat intensius, ne inchoatas enar-

tas enarrationes negligeret, domi in hypocausto, quæ antea collegerat, consuetis horis continuaret. Cum verò morbus nimium crescens adeo naturæ vires debilitaret, vt nullis medicamentis videretur sanandus, neq; ijs alimentis, quibus natura confortari solet, amplius frui posset, vix tandem multis precibus amicorum, à lectionibus quieuit. Nam in lecto decumbens viribus penè exhaustus, sententias aliquot Theologicas, res grauissimas & cognitu dignissimas complectentes, & pias precationes ex sacris literis, & sententias morales versibus expositas, & ad petitiones orationis dominicæ & secundam Decalogi tabulam relatas, typis excudi curauit. Tales sententiæ adeo ipsi familiares erant, vt plurimas ex his versibus comprehensas ad lectum sedentibus memoriter recitaret. Ita erat assuetus laboribus, vt, quamuis corpore deficeret, animus tamen suas actiones & operationes exercere, quamdiu viuebat, non desineret aut defatigaretur. Tantum valet in bonis ingenijs assiduus labor, vt & Cicero scribit, memoriam extingui præsertim in senibus, nisi exerceatur: & ipse VVestphalus in illis, quarum iam feci mentionem, sententijs, laborem commendans, sic ait: Bona ingenia nutrit labor, idq; suo exemplo probans hos addit versus.

Me iuuat ipse labor, natus sum namq; laborj,
Hoc lætum mirè pascitur ingenium.

Porrò cùm in omnibus actionibus ad officium Ecclesiastici gubernatoris pertinentibus; tùm in eo quoq; sollicitus ac fidelis labor huius Superintendentis erat conspicuus, quòd exteros quosdam hospitijs & cæteris commoditatibus in vrbe fruentes, & erroribus Sacramentarijs & alijs infectos, ne ijsdem erroribus Ecclesia & patria nostra corrumperetur, per pia examina & colloquia ab impio dogmate reuocare & ad normam fidei reducere conabatur. Cumq; pacis & concordiæ amantissimus esset, pro virili semper studuit, vt honesta, perpetua & stabilis esset ministerij Ecclesiastici, politici Magistratus ac subditorum in timore Dei coniunctio. Quod ita demùm se rectissimè præstiturum arbitrabatur, si dissidia iam orta, ac odia & rixas componeret, & causas, ex quibus oriri solent, veluti ocium ignauum, auaritiam, superbiam, aliaq; vitia, quibus multos & quidem non infimi ordinis homines deditos esse videbat, è medio tolleret. Etsi verò, quod optauerat, sæpissimè non impetrauit: tamen quod sui erat officij, veluti et in alys rebus, non neglexit. Cupiebat enim omnia ad expressam normam verbi diuini dirigi, & vel tolli vel emendari, quæ cum pietate & fide pugnantia Ecclesiæ scandalum præbere, & contemptum verbi Dei alere animaduertebat. Hac de causa quoq; sacrorum locorum prophanationem, quam impunè exerceri ab institoribus & alys

vide-

videbat, seueriter ex manifesto Dei mandato, clarissimis S. scripturæ testimonijs, & exemplo Christi, non permittentis, vt quisquam portaret vas per templum, reprehendit, & vt tolleretur effecit. Hoc opus, hic labor fuit pio Superintendenti, vt non solùm pacatam & tranquillam, sed etiam optimè ordinatam & benè constitutam post suum obitum Ecclesiam relinqueret. Quod fieri non posse existimauit, nisi totum corpus cum omnibus suis membris ad normam verbi diuini esset instructum, & si nihil existeret, quòd vel distractionum & dissidiorum, vel turbarum causam aliquam præbere posset. Hæc tanti viri summa prudentia omnes nos de vero Christianæ concordiæ ac pacis tuendæ & confirmandæ modo admonet: quæ tum demum vera & Christiana censenda est, cum pura & sincera doctrina Christi, qua alitur & sustentatur, constanter in omnibus fidei articulis defenditur, & huic contrariæ rationis humanæ opiniones, quibus turbatur & labefit, confutantur, damnantur & abijciuntur, deniq; cùm, quodcunq; inordinatum, indecorum & deforme in Ecclesijs aut politijs existit, tanquam noxium membrum à corpore reciditur & separatur. Piam autem sollicitudinem suam pro Ecclesia Christi VVestphalus, cùm valetudo admodum debilis esset, ostendens, quædam, quibus amplissimus Senatus post illius ex hac vita discessum de rebus necessarijs

admo-

admoneretur, dictauit, ipseq; primùm manu propria subscripsit, deinde pastores quoq; subscribere voluit: inter quæ hoc est præcipuum; Quòd rogat Senatum veluti pium magistratum & Dei vicarium, vt Ecclesiam, puram doctrinam & religionem Domini nostri Iesu Christi inprimis sibi commendata habeat, idq; summa diligentia curet & agat, vt Christiana Ecclesia in agnita & confessione declarata veritate piè & vnanimiter confirmetur & conseruetur, nec Sacramentariorum errores, aut vlla alia falsa dogmata irrepere & locum inuenire sinat, vtq; oportuno tempore pium et fidelem Superintendentẽ legitimè iuxta huius ordinationis Ecclesiasticæ præscriptũ eligat & constituat, et electio libera sit, nec suum Pastoribus ius præripiatur: ac vt Superintendens Sacramentariorũ omniũq; aliarum sectarum, errorumq; hostis sit: sanam verò doctrinam verbum veritatis firmiter teneat, ac constanter defendat, & nulla ratione ad partes contrarias sit aut vnquam fuerit inclinatus. Ad hoc multum profuturum monebat, si prudentissimus Senatus vnà cum quatuor parœcijs id curaturus esset, vt Pastores prorsus in omnibus articulis Christianæ doctrinæ vnanimes & consentientes manerent. Hinc dimanare affirmabat bonã concordiam inter cæteros Ecclesiæ ministros, & ex ministerio oriri laudabilem, sanctam & salutarem coniunctionem inter politicos magi-

magistratus, inter ciues & vniuersam plebem, iuxta Psalmum 133. Ecce quàm bonum & quàm iucundum &c. & secundum admonitionem Pauli 1. Corinth. 1. Obsecro uos fratres, per nomen domini nostri Iesu Christi, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis integrum corpus, eadem mente & eadem sententia.

Cum igitur Reuerendus & pius Superintendens D. Ioachimus VVestphalus piæ memoriæ summa cura, industria, assiduo labore & magna sedulitate suum in timore Dei officium faciens, eum sit finem assecutus, vt non solum se viuo, sed & post suum discessum ex hac mortali vita, optimus per Dei gratiam Ecclesiæ Hamburgensis status in tranquillo maneat: cùm res tantas ad Dei gloriam, patriæ & multorum salutem gesserit: cum de tota Ecclesia optimè meritus sit, vtilissima posteritati opera relinquendo, & tàm aliorum quàm suæ Ecclesiæ & suorum priuata commoda & salutem spectando vtiliter laborauerit, vnde præclara atq; honesta ei fama nominis apud exteros manet: cùm deniq; per totum vitæ suæ curriculum ita se gesserit, ita fidem Domino suo probarit, vt gaudens cum Apostolo dicere potuerit: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, &c: virum illum tam eximijs ac diuinis virtutibus & donis ornatum salutare ὄργανον Ecclesiæ

& fidelem Christi ministrum fuisse, quis non verè iudicet.

Consilia, deliberationes, acta, & euentus, heroicas illius virtutes prædicant & testantur manum Dei cum ipso fuisse. Nullius enim gubernationem felicem & salutarem vel Ecclesiæ vel Reipub. sine Deo existere posse Iohannes Baptista affirmat, inquiens: δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Et Christus, Sine me nihil potestis facere. & Psalmo 1. dicitur, Dominum nouisse viam, hoc est, vocationem, studia, doctrinam, labores & opera iustorum seu piorum approbare & adiuuare.

Lucebant etiam in VVestphalo virtutes tanto viro dignæ, pietas, fides erga Deum, amor veritatis, rectum sincerum & firmum iudicium de omnibus doctrinis, perspicacia & dexteritas in iudicando, patientia in laboribus, in rebus aduersis fortitudo animi, quem neq; metus, neq; fauor potentum à recto tramite abstrahebat. Erat iustus, modestus, castus, sobrius, liberalis erga pauperes præsertim scholasticos, & alios pios exules Christianæ fidei addictos, parsimoniæ studens, frugalis & bonus œconomus, qui suæ domui benè præerat. Erat sedulus & assiduus in iustis vocationis officijs: omnia tempestiuè agebat: in consilijs dandis erat promptus, felix, prudens, circumspectus,

vt nul-

vt nulli fieret iniuria, sed vtriq; parti rectè consuleretur.

Tanta quoq; in hoc viro erat magnitudo animi, vt (non tamen arroganter) fateretur, se in magnis periculosisq; tempestatibus Ecclesiam turbantibus nullo vnquam metu perculsum fuisse, Adeo eum bona causa intrepidum fecerat. Nam cum paulò ante, quàm Superintendentis munus illi commendaretur, adeò vehementes dolores calculi sentiret, vt propemodum de vita desperaret, & ad lectum adstantes duos pastores D. Cyriacum Simonem, & M. Nicolaum Staphorst, qui eum visitandi gratia accesserant, adhortaretur, ut in bona causa nihil pauerent, quin potius, viriliter agerent, & præsenti animo suum facerent officium, & scirent sibi diuinitus id impositum esse, Deum enim semper adesse causæ iustæ, et iustos nunquã deserere: suum illis exemplum proposuit, inquiens, se ingenuè fateri, quòd per gratiam Dei in vita sua nunquam formidasset. Quod sane magnum indicium est, animi sibi non malè conscij, & magna fide præditi: sub pudore enim ac metu vel ignorantia vel causa iniusta plerumq; latere solet, vt dicitur:

Frangit & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

Sequamur igitur iustã causam semper, et in ea defendẽda constanter persistam⁹: patrocinia verò impia aduer-

sus Deum nulla suscipiamus, quia nequaquã subsistent: Non moueat nos, si maior et præstãtior pars imò totus mundus nobis infensus in contraria feratur, aut cœlum ruat: modo Deum à nostris partibus retineamus. Si Deus pro nobis quis contra nos? Etsi enim aduersarij, magna sapientia, potentia & authoritate præditi sunt, ac eximiam iusticiæ speciem præ se ferant: tamen ad tempus tantùm florent, & tandem euertuntur, & in ventum vt paleæ dispergũtur. Iustorum verò viam nouit Dominus, studia, doctrinam, labores & opera eorum ex fide & Spiritu S. profecta respicit, hinc Deo grata & Ecclesiæ salutaria faciunt.

Totam historiam vitæ V Vestphali si accuratissimè aspicias & singulas eius partes ad amussim examines: non inuenies eum aut falsum aliquod dogma approbasse ac defendisse, aut incautè partibus eorum, qui errores vel corruptelas sparserunt, astitisse. Quòd autem perfecto odio oderit sectarios, id omnibus pijs, qui eum rectè nouerunt, perspicuè constat: præterea id ore, scriptis, cæterisq; actis manifestum fecit, dum certamina pro veritatis defensione non fugit vt mercenarius, dum in tempore tentationis non recessit, non obmutuit vbi confessio edenda erat, neq; vbi impijs contradicendum, arundo fuit, quæ à vento agitatur. Puram enim Euangelij doctrinam ardenter amplexus est, studiosè defendit ac propagauit, & constanter refuta-

futauit quoscunq; errores, vt Papistarum, & Anabaptistarum, item Sacramentariorum: vt Cinglij, Carlstadij, Oecolampadij, Caluini, Petri Martyris, Lasconis Boquini, Herdenbergij & similium qui nostro tempore rectam doctrinam & fidem de Cœna Domini deprauarunt, & adhuc errores suos propugnant, item aliarum, quocunq; nomine appellentur, sectarum. Non est autem à quoquam auditum vel in exitu vitæ, vel toto morbi tempore, aut vnquam ante, quòd illum pœnituerit eorum, quæ ratione officij docuerat, scripserat aut egerat, certus, quòd firmissimo fundamento niteretur, ex quo etiam cuilibet poscenti promptam de doctrina & confessione sua rationem reddere quocunq; tempore potuisset.

Sentiens verò tandem, se sine intermissione magis, magisq; viribus destitui, nec vllam recuperandæ valetudinis spem sibi fore reliquam, nihilq; amplius se scire existimans, quod Ecclesiæ aut suis mandaret: ad ardentem orationem se conuertit, & secum orare iubens adstantes, ijsdemq; subinde luctum parans, ego, inquit, deficio quidem, quod ad hanc vitam, sed ad alteram æternam vires recupero, quia ad eam continuus mihi est cursus: vale munde, vale munde, Christus vita mea, mori mihi lucrum, cupio dissolui & esse cum Christo. In manus tuas Domine commendo spiritum meum: Redemisti me Deus veritatis, In te Domine

speraui, non confundar in æternum. Deinde recitatis articulis fidei & oratione dominica vltimam petitionem cum conclusione Amen, sicut in cantico à Luthero duobus postremis versibus exposita est, vna cum astantibus eleuata voce cecinit. In recitatione orationis dominicæ cum singulari affectu pronunciauit petitionem: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, addens, Remitte & mihi debita mea, & ego remitto omnibus inimicis meis, & opto illis, vt conuertantur ac saluentur. Mortuus est itaq; anno ætatis suæ LXIV: qui cùm ex sermonibus ipsius adhuc viui, tum ex scriptis post illius obitum repertis colligitur. Sæpè de præcedenti anno vt climacterico, in quo vehementer ægrotare cepit, & non diu pòst initio sequentis anni è viuis discessit, dicere solitus erat, se, si eum annum incolumis esset euasurus, vitæ præsentis prolongationem aliquam sperare. Verùm morbus, ex nimia stomachi infirmitate, de qua sæpè conquerebatur, paucis diebus ante Ecclipsin lunæ cepit, & post eandem continuè creuit, donec tandem exhaustis viribus in Christo placidè obdormiuit die Ianuarij XVI. vesperi hora septima anno à nato Saluatore M. D. LXXIV. cùm annis ferè triginta tribus incorruptam Euangelij doctrinam, & ore & scriptis esset professus, & suam Ecclesiæ Hamburgensi in ea propaganda assiduam ac fidelem operam

nauasse

nauasset. Corpus eius, sicuti in Testamento voluerat, in ædem D. Catharinæ deportatum atq; honorificè sepulturæ traditum est in Choro, vbi nunc lætam Resurrectionem expectat. Post peractas funeris Cæremonias, redeuntibus ex templo mox conspecta sunt in aëre fulgura, haud dubiè in signum & testimonium, quòd mors huius sancti viri in conspectu Dei sit preciosa, & quòd meritò tota Ecclesia illam lugere debeat, sibiq; de futuris malis metuere, hac sacra anchora in medijs fluctibus & tempestatibus, vbi ea maximè opus erat, amissa. Filius autem Dei omnipotens ac verus gubernator, Cymbam suam inter medios fluctus sæuasq; tempestates, à quibus vndiq; impellitur, summè periclitantem, iuxta promißionem certißimè consolabitur, eriget, liberabit, & sua potentia conseruabit, vt & in versu Sybillino à Plutarcho in Solonis vita citato dicitur ἀσκὸς βαπτίζῃ δῦναι δὲ τοὶ οὐ θεμὶς ἐςὶ. Eundem etiam toto pectore oramus, vt hanc Ecclesiam & patriam nostram, in pura doctrina Euangelij, & vera Religione clementer tueatur, mittat pium Superintendentem in locum defuncti, qui & ipse similiter incorruptam veritatem amplectatur, & defendat constanter, det semper fideles doctores, pastores, ac ministros sui verbi, ac nos quoq; faciat organa salutaria per suam gratiam, pium etiam Senatum in agni-

in agnitione & confessione verbi salutaris gubernet, & vnà cum tota Ecclesia & Republica incolumem seruet, ad sui nominis gloriam, publicæ pacis diuturnam conseruationem, & totius patriæ salutem. Amen.

M. IOACHIMI VVESTPHALI PRECATIVNCVLA.

GOR pauidum trepidumq; Deus rogo des mihi nunquam,
Obfirmes animum spemq; fidemq; meum.

EPITA-

EPITAPHIA ET EPI-CEDIA AMICORVM, REVERENDO VIRO D. IOACHIMO VVESTPHALO SCRIPTA.

INteger vitæ scelerisq; purus
VVestphalus sacris studys dicatus,
Omne transegit spacium sonando
Dogmata Christi.
Quæ suo verbo Deus ipse nobis
Tradidit norma stabili sequenda
Firmiter cunctis patriæ vt salute
Digna moneret.
Consulens promptus benè rexit armis
Spiritus sancti, solidæ ligamen
Pacis illæsum in Domino vt maneret
Tempus in omne.
Restitit monstris vigilans ferarum,
Ne gregem Christi species luporum
Falleret, tentans animas inanj
Perdere fuco.
Nunc pius doctor fruitur sereno
Gaudio, celsi super alta cœlj
Mens agit, corpus tumulo hoc quiescit
Post rediuiuum.

IODOCVS METHODIVS.

ALIVD.

ECCLESIA & DEFVNCTVS colloquuntur.



Eccle. Αἴ αἴ τοῦ ἁγίου ὀφθαλμὲ ἀγωγὲ τε λαοῦ
Αἴ οὕτω πίπτεις ΒΕΣΤΦΑΛΕ θεῖε ἄνερ;
Αἴ οὕτω μετάσου διδαχὴ καταπίπτει ἀληθὴς;
Αἴ αἴ ὁποῖ ἔσομαι; μοὶ βίος οὐκ ἐσέ;

Defun. Οὐ πίπτω ἐγὼ, οὔτε θεοῦ καταπίπτει ἀληθὴς
Ἡ διδαχὴ: Χρηστὸς ΧΡΙΣΤΟΣ ἐρείδει ἐμὲ.
Καὶ σέ ὁρᾷ, διδαχὴν τε φιλάττει ἐπίσκοπος αὐτὸς,
Αὐτὸς σοί τε βίος, καὶ βίος αὐτὸς ἐμοὶ.

I. F. H.

ALIVD.



Vita quid est? gyrus, quem cum vix cepimus annis
Lapsis repentè absoluimus.
Cui tamen illius est conuersio longa, quid huic est?
Instar breuis dieculæ.
Deniq; mille annis aliquem fac viuere: quid tum?
Vt somnium hi quoq; auolant,
Interea lachrymæ, suspiria, tædia, luctus
Succedit vnus alterj.

Oni-

O nimium miseri, finem qui ponere curis
Non cogitant inanibus:
Hi sibi pro vitæ, qua nil fallacius, vmbra
Bis mille vitas somniant.
At quibus in cœlum mens est conuersa, quibusq;
Hæreditas est ad Deum,
Mente supra mundum positi ludibria rident
Rerum atq; damna temporum,
Vita illis Deus est, vitæ duratio, nullo
Arctata fine æternitas.
Huius & ille tuus mystes Hamburga, gregisq;
Pastor pij fidissimus,
Post gyrum hunc vitæ & multa aspera VVestphalus
Vitæ potitur iam munere. (huius
Ille quidem haud clarus genere aut natalibus amplis,
Sed clarus ingeny bonis,
Sed studio veri, sed relligionis amore,
Constantiaq; in asperis.
Iam terras cœlo felix mutauit, & antè
Sperata verè possidet.
At tibi quid precer ô rarum Saxonidos oræ
Hamburga sidus & decus?
Hoc precor, vt tibi venturos non desit in annos
Episcopus par VVestphalo.

Matthias Bergius.

ALIVD.

VEstphalus hoc iaceo sub marmore membra sepultus,
Mens manet in Christi non moritura sinu.
De me vera loquar: nam mendax, vindice Christo,
Non debet testis spiritus esse sui.
In patria Pastor longæuus & inclitus vrbe
Pectore non duplici nec titubante fui.
In statione manens non sum perterritus vnquam,
Vt paterer sæuos in pecus ire lupos.
Illita simplicibus non toxica melle venenj
Sum passus veluti pharmaca sana dare.
Doctrinæ sacræ precioſum pignus vt esset
Sincerum, hæc sola & maxima cura fuit.
Sarcta salus patriæ, Christi quoq; gloria tecta
Vt foret, ex toto corde vigil studui.
Publica taxaui priuataq; crimina cœtus,
Nilq; ducum veritus cornua sæua gregis.
Aepino fidus socius mendacia contra
Perpetua iunxi dexteritate manum.
Commissum fidei successor factus ouile
In saluo linquo, quo fuit ante, statu.
Quanta pijs falsi sint fratribus vlcera fratres,
Expertus sensi, conqueritorq; DEO:

Aqui-

A quibus innumeris affectus rebus acerbis
Per Dominum parto victor honore fui.
Quisquis enim Domino fido & constante ministrat
Pectore, præsidium, quo viget, intus habet.
Fortiter officio, donisq; fideliter vsus
Seruaui Christo sustinuiq; fidem.
Ergo geram capiti meritum gestamen honoris
Perpetui, merces quæ manet ampla pios.
Christe gregi sacro pastorem redde fidelem,
Qui te, quiq; tuum sic amet vsq; gregem.

M. Iohannes Ritzenbergius,
Hamburgensis.

ALIVD.

PIetate grauem & meritis Ecclesia multis
Tam celebrẽ amisit Vuestphale mœsta virũ,
Qui patriæ fines & relligionis amorem
Seruasti, Zelo feruidus, ore, stylo.
Absit vt inferior fueris conuictus ab vllis
Hostibus ingenio, dexteritate, fide.
Sed tua quæ virtus & quanta scientia rerum,
Dicet & agnoscet candida posteritas.
Hic placidè exuuias posuisti ac arida membra,
Conspectu fruitur mens pia Christe tuo.

THEODORVS SIMON
Hamburgensis.

ALIVD.

Siccine Nestorios decuit quos viuere in annos,
Mors ô mors dira perfida falce necas?
Cur non degeneres vitali lumine cassos
Deducis meritas ad Phlegetontis aquas?
An te multarum præclara scientia rerum
Non mouet, vt cupias abstinuisse manus?
Cur iacet ætherij decus & laus inclyta verbi
Insidijs victus V Vestphalus ille tuis?
Debuit is certè longæui Nestoris annos,
Mathusalæ canos & numerare dies.
Nam, dum vitales fatis cedentibus auras
Hausit, diuinis dotibus auctus erat.
Viribus ingenij validis armatus, & acris
Iudicij summa dexteritate fuit,
Candidus, innocuus, zeloq; animoq; verendus,
Constans, & veræ religionis amans.
Hinc quoq; natalem benè iuuit Episcopus vrbem,
Christicolæq; tulit commoda magna gregj,
Cui nôrat sacros exactè euoluere libros,
Verus & hos veris enucleare modis.

At nunc

At nunc orba viro infœlix Eccleſia tanto
Mœſta iacet miſeras dilaniata genas,
Paſtoremq; ſuum lugenda morte peremptum
Sordibus errorum territa ſæpè vocat:
Publica res charo veluti ſpoliata parente
Oſtendit luctus triſtia ſigna ſui,
Et merito: quoniam in rebus prudenter agendis
Conſilio illius ſæpius vſa fuit:
Muſica quin etiam tanti priuata patronj
Turba patrocinio fletibus ora rigat,
Quo duce Caſtalijs eductas fontibus artes
Inprimis illi diſcere dulce fuit.
Sic ergo è viuis tantum decus atra tuliſti
O mors? innocuos tollere ſicne iuuat?
Non huic præſentis præcidi ſtamina vitæ
Debuerant, meritis ſi ſuus eſſet honos.
Sunt, qui doctrina, faſtu, ambitione tumentes,
Vero poſthabito, dira venena ſerunt,
Hos petere, & ſtratos telis iugulare nociuis
Fas erat, & Stygio ſubdere colla iugo.
Impleo ſed fruſtra querulis ſingultibus auras,
Nullius cum ſit mors ſuperanda manu,
Cuius ſæua manus toto dominatur in orbe,
Et cunctos tandem ſub ſua iura trahit.

Indo-

Indocto nulli parcit, nullosq; peritos
Flebilis expertes funeris esse facit.
Non hic ingenium, pietas, moresue venusti,
Non hic quantumuis robora firma valent.
Huius causa mali est primorum culpa parentum
Iratum faciens culpa nefanda Deum:
Hæc facit vt series nos lædat tanta malorum,
Tutus eatúe humili non magis ipse potens:
Hæc facit, vt nulli sit ineuitabile lethum,
Atq; cadat doctus non minus ipse rudi.
Attamen illa pijs non est mors vera, sed vmbra
Mortis, & in vitam transitus ætheream.
Nam non fortuitò mortalis munera vitæ
Linquimus, aut casu tollimur è medio.
Ille Deus, cuius nutu quoq; ducimus auras,
Vltima nos omnes fata subire iubet,
Quosq; Redemptori cernit confidere Christo,
Propitius superas mandat adire plagas.
Hos inter meritò tu VVestphale sancte notaris,
Finis erat vitæ nam tibi firma fides.
Christe veni, moriens dicebas, ô mea vita,
Christe veni, sed tu pessime Munde vale.
Salue igitur diuine senex, qui sede receptus
Aetherea veræ gaudia pacis habes,
Et cinctus merita vitæ pacisq; corona
Conspicis æterni numina vera DEI.

Illic

Illic angelici cœtus, turbæq; beatæ
Aspectu frueris colloquioq; pio.
Salue iterum, in cœlo qui luces syderis instar,
Aeternùm salue, perpetuumq; vale.
Interea patriæ Pastor tu Christe maneto,
Atq; illi similem suffice quæso virum.

M. DAVID VVOLDERVS
Hamburgensis.

ALIVD.

MAXimus ingenio, clarus pietate, celebris
Virtute, & cultis moribus, arte, fide,
Et Christi decus æternum, laus inclyta Phœbi,
Hoc recubat mœsto VVestphalus in tumulo.
Heu quòd præsidium, quòd spes, quodq; anchora Musis
Sic perit, heu claræ quòd iacet vrbis honos:
Infelix fundit largos Ecclesia fletus,
Calliope infelix, heus pater, inquit, vbi es?
At Pietas tumulum seruat, mœstumq; dolorem
Ostendit laceras dilaniata comas.
Optima Spes iuncta est expectans gaudia cœli,
Et pia, qua subyt cœlica regna, Fides

ALIVD.

M Hac

ALIVD.

HAc Superintendens Ioachimus VVestphalus
Contegitur, patria contumulatus humo. (vrna
Tres & triginta docuit feliciter annos,
Lustra habuit vitæ terna decemq; suæ.
Implens officium cunctis virtutibus, egit
Esset vt à rapidis vinea tuta feris.
Hic fuit inuisus multis, sed carus Olympo
Cum Christo æternæ fœdera pacis habet.

M. Henricus Garberus
Neostadianus.

ALIVD.

ALle pius Pastor, Ioachimus Vuestphalus, ille
Doctrina celebris iudicioq; potens,
Pectore qui firmo cœlestia verba docebat,
Exemplisq; bonis suspiciendus erat,
Hic iacet exigua vir tantus tectus arena:
Hinc modo certatim Musicus ordo dolet.
Fortis in Aepini sic illum funere dicunt
Ingemuisse, potens qui quoq; doctor erat:
Nec magis Aepini commotus morte Iohannis,
Vuestphale quàm præstans te moriente fuit.

Iohannes Steinman.

ALIo

ALIVD.



Candidus hic Christi præco post fata quiescit,
VVestphalus ingenij nobilitate grauis,
Quem pietate, fide, meritis, virtuteq; clarum
Amissum deflet Musica turba virum.
Gratia non hominis, nec magna potentia mundi
Mouit eum, nec opes, pœna nec vlla malj.
Ille lupum fida grassantem voce repressit,
Ne sibi commissas perderet hostis oues.
Et nunquam sumptus, alimentaq; larga negauit,
Doctrinæ Christi qui studiosus erat.
Huic igitur quisquis fuerit successor honoris,
Is pariter doceat promoueatq; pios.

NICOLAVS GERHARDVS
Hamburgensis.

ALIVD.



Lauditur hac mœsta Ioachimus VVestphalus vrna,
Doctrina celebris iudicioq; grauis.
A puero didicit, qui sacri oracula verbi,
Quod studium studuit continuare senex.

Tres & triginta docuit sincerus in annos
Saluificoq; suas gramine pauit oues.
Lustra habuit vitæ bis sex, & quatuor annos,
Cùm placidè subijt regna beata DEI.
Ergo pro meritis magnoq; labore, coronam
Post fata æterno tempore victor habet.

DISTICHON CVIVS LITERÆ numerales indicant annum obitus D. VVestphali.

HaC IaCet heV fIXa IoaChIMVs VVestphaLVs Vrna
QVI, reX ChrIste, tVI pastor oVILIs erat.

EPITAPHIVM AGNETÆ CONIVGIS D. VVESTPHALI NON MVLTO post illum è viuis exemptæ.

HIc prope dilectum coniunx Agneta maritum
Hei iacet, eximij pulcra corona viri.
Sic quos fidus amor viuos sociauerat, ipsos
Mors nequit morsu dissociare suo.
Quinetiam surget caro surgente marito,
Cum dederit lætos buccina clara sonos.

Viuaq;

Viuaq́ cum viuo superas ascendet ad arces,
Et nullum tempus, quo moriatur, erit.

Dominis & hospitibus suis Georgius
Niemeier Neostadianus cum
Lachr. F.

ELEGIA CONSOLATORIA
AD REVERENDVM ET CLA-
RISSIMVM VIRVM M. IODOCVM COR-
tumium, mortem D. VVestphali affinis
sui lugentem.

OPtime Cortumi placidis exculte Camœnis,
Et clari dudum gloria pulchra chorj,
Cur ita quæso iuuat lachrymarum fundere riuos,
Tamq́ diu questus continuare tuos?
Pone modum lachrymis, & subditus esto Tonantj,
Cuius clausa manet vitaq́ morsq́ manu.
Crede mihi, nemo moritur, nisi iusta voluntas
Exigat hoc summi perficiatq́ Dei.
Ille etenim viles capitis numerando capillos
Edocuit nostri quod memor esse velit.
Quorum præ reliquis ardenti flagrat amore,
Hos vocat in superæ regna beata domus.
Hic quia sunt mœsti gemitus, lachrymæq́ perennes,
Anxietas animi continuusq́ dolor,
Sunt inimicitiæ, lites & prælia Martis,
Et non est vllo tempore vera quies:

Hic furit in caſtos rabioſa Calumnia mores,
Et tecta innocuos inficit arte viros.
At domus è contra formoſi regia cœli
Perpetuo cunctis affluit ipſa bonis.
Non ibi ſunt lachrymæ, nec mœſti ſigna doloris,
Non ſunt inſidiæ, nec vafer ille dolus.
Eſt ibi grata quies, pax & iucunda voluptas,
Gaudiaq́ in cunctos continuanda dies.
Sunt & ibi angelici fundentes carmina cœtus
Et docti harmonicis plectra mouere modis.
Sunt ibi primæui patres, magniq́ Prophetæ,
Atq́ aly ſacrum qui docuere gregem.
Hoc inter pius ille ſedens modò VVeſtphalus agmen
Aſpectu fruitur colloquioq́ DEI.
Et meritam nactus conſtante labore coronam
Emicat in ſacro ceu noua ſtella choro:
Tantaq́ iam læta tæſtatur gaudia mente
Quanta poteſt certis nemo referre ſonis.
Ergò Cortumi lugubres ſupprime queſtus,
Et noli mădidis amplius ire genis.
Namq́ ter eſt felix qui ſic docet atq́ ita viuit,
Viuat vt in cœli poſt pia fata domo.

M. Henricus Garberus
Neoſtadianus.

MEMO.

MEMORIAE

IOACHIMI VVESTPHALI.

REVERENDVS ET CLARISSIMVS VIR M. IOACHIMVS VVESTPHALVS, CVM IN HAC ÆDE D. CATHARINÆ EVANGELION CHRISTI VLTRA ANNOS TRIGINTA FIDELITER DOCVISSET, AC DEINDE SVPERINTENDENTIS MVNERE IN ECCLESIA HAC HAMBVRGENSI BIENNIO LAVDABILITER FVNCTVS ESSET, BENE DE PATRIA ET TOTA ECCLESIA MERITVS, A SALVTARIBVS LABORIBVS ET OPERIBVS FATO BENIGNO QVIESCENS, PLACIDE IN CHRISTO OBDORMIVIT ANNO CHRISTI M. D. LXXIIII. DIE XVI. IANVARII, ÆTATIS LXIIII. CVIVS ANIMAM CHRISTVS HABET, CORPVS HOC SAXO TEGITVR.

EPI-

EPIGRAMMA
IN INSIGNE REVERENDI
VIRI D. VVESTPHALI, QVOD FVIT GLORIOSISSIMA RESVRRECTIO CHRISTI,
DEVICTA MORTE, DIABOLO,
ET INFERNO TRIVMPHANTIS.



Estphalus in Christi generosus miles honorem,
In cœlo, à Christo parta, trophæa gerit,
Et meritis Christi nixus post fata triumphat,
Pestiferum victor nunc super omne genus.
Gratia dia virum pugnare & vincere fecit
Doctrina, studio, moribus, ingenio.
Spiritus æthereis de sedibus arma ministro
Contulit hæc, nullis diripienda modis.

I. Meth.

VERITAS VINCIT
ET TRIVMPHAT.

EPITA-

EPITAPHIA REVERENDIS VIRIS ET PRÆCLARE DE ECCLESIA DEI ET SCHOLA IN INclyta vrbe Hamburga meritis, qui superioribus annis obierunt, scripta à IOHANNE FREDERO Hamburgensi.

IOHANNI ÆPINO.

DVX lumenq; sacri iacet hoc sub marmore cœtus,
Ah iacet ille Dei præco, quem gloria linguæ,
Ingenium, virtus, grauitas, sapientia, candor,
Iudicijq; acies & constans pectus in omni
Fortuna ostendere virum: quo vindice Christum
Pontificem verum fuit vrbs Hamburga professa
Pontificum bullas exosa Petriq; cathedram:
Hinc illi nomenq; bonum laudesq; refulgent.

IOACHIMO WESTPHALO.

INgenio, pietate, fide, virtutibus, arte,
Iudicio, scriptis & viua voce minister
CHRISTE tuus, patriæ qui constans seruijt vrbi
HAMBVRGÆ, sacra Catharinæ fidus in æde
Pastor olympiades IOACHimus VVEstphalus octo,
Inde duos præstans & clarus Episcopus annos,
Inspiciens hominum mores & templa gubernans
Huc tulit ossa obiens, animam tu Christe tulisti.

STEPHANO KEMPIO.

PRopugnare Dei pro laude paratus et acer,
KEMPIVS & patriæ profiteri fortiter, ausus
Integra saluifici primus mysteria verbi,
Condidit hanc mundo discedens ossa sub vrnam:
Mens cœlos, vitæ, conscendit adepta coronam.
Sanctus es ô sacri qui verbi cunq; minister,
KEMPIVS esto: Dei propugna fortis honorem,
Militiamq; bonam, re: vitæ certa CORONA est.

IOHAN.

IOHANNI BODCHERO.



Clara salutiferi patriæ qui buccina Christi,
Qui virtute fuit vera decoratus & arte
Eximia, quem laude vehit suauissima morum
Gratia, IOHANNES Bodcherus grata quietis
Dona sub hoc tumulo capit: alti gratia cœli
In Christi amplexus animam suscepit ouantem,
O quantum est Christo seruire fideliter vni?

GEORGIO TAPIO.



Discipulus Luthere tibi, tibi Vuestphale carus
Collega, insigni flagrans pietatis amore
Et zelo ingenti defendens munera verbi,
Sinceramq; fidem, fideiq; illustre sigillum
Quod nobis Christum sacra præsentat in ara
TAPIVS ingenio linguaq; GEORGIVS acri
Hic capit in Christo requiem, in Christoq; resurget.

GODTFRIDO THEOPHILO.

Munera magna DEI teneræ sunt lumina pubis,
Fidi, doctrinæ, fidei, morumq; magistri:
Talis eras olim patriæ Godtfride iuuentæ,
Pax diuina tuo gestans in pectore palmam,
Et pietatis amor nomenq; omenq; dederunt
Dulce tibi: longæ tibi Christus tempora vitæ
Hîc dedit in terris: qui iam dat gaudia cœli.
Gaudia quæ nullis sunt interitura diebus.

MATTHÆO DELIO

Delius vt Delum patriam, præclaris Apollo,
Obscuram, celebrem Musarum munere fecit.
En ita præclaris qui nomine Apollinis ortus
DELIVS Hamburgam Musarum munere Delum
Hoc est eximiam fecit mundoq; celebrem:

DELI-

DELIVS, Hamburgæ moderator duxq; iuuentæ
Illius ingenium ditârat summus Apollo
Filius ipse Dei, donis illustribus amplum,
Quicquid Graia tenet quicquid Romana vetustas
Exactum eloquio felix callebat ad vnguem
Vir patiens operum curisq; assuetus honestis.
Illius hoc capiunt requiem post fata sepulcro
Ossa: fide vera summum mens scandit olympum.
A facie ad faciem cui Christus verus Apollo
Aeternùm eloquio cœlesti pectora mulcens
Emicat, vt Phœbus lucis fons aureus orbi.

IOHANNI PISTORIO.

QVr Pietas, moresq; boni, doctæq; Camœnæ
Hunc cingunt tumulum? Pietatis idoneus auctor
Et disciplinæ columen morumq; bonorum,
Interpresq; vocans medio ex Helicone Camœnas,
Mœnia in Hamburgæ, vicini in littoris oras
In domino moriens hoc mortua membra locauit
Sola solo, felix mens summo viuit olympo,
Illustres inter proceres sanctumq; Senatum.

ECCLESIA LAMENTANS.

Heu, qualis ero tandem, si Christe ministros
E medio tolli sic patiêre meos?
Qualis ero, linquent me si mea lumina? si me
Pectora destituent, hei mihi qualis ero?
Cum spoliantur oues pastoribus, anne luporum
Effectum rabies discit habere suum?
Eheu iure gemo fidis doctoribus orba:
Illi sunt oculi, corda, ducesq; mei,
Qui monstrare dolos & iniqua resoluere vincla
Eloquij possint dexteritate sui.
Dum mea sunt qui me discerpunt membra, nec vllum
Cadmæis video litibus esse modum.
Quem mea dextra librum tenet, hoc in turbine rerum
Vix tenet, hinc fraus est, quæ nocet inde furor.
Ingemit ille miser distractus, perq; capillos
Attractus, quo vult totus abesse loco.
Eheu iure gemo lacerata comasq; sinusq;
Eheu do lachrymis libera frena meis.
Ah nisi præstantum constantia corda virorum,
Finibus arcerent vimq; dolumq; meis:
Præstigiæ nimios agerent latebræq; triumphos,
Nec foret vlla mei pagina certa libri.
Mille quòd ambages quòd fucis pinguia mille
Concilia, & fraudum texta retexta iacent:
Christe tuum est munus, Dux summe & Episcope summe,
Cuius sunt tales maxima dona viri:
Sed mihi cur adeo præter spem surripis omnem
Nelei dignos viuere fata senis?

Aspice

Aspice me miseram, miserè miserère benignus,
Spes sine te nulla est, te sine nulla salus.
Ni mihi substitues animos oculosq; fideles,
Me nisi Christe teges, me nisi Christe reges:
Vni odijs omnes telisq; ferocibus vni
Iam magis instabunt viq; doloq; mihi,
Humanis equidem rebus confidere stultum est,
Miras penè vices quilibet annus habet.
Hos oculos, has tollo manus ad sydera passas:
Inde mihi requies, inde petenda salus.
Cerno mille modos animorum mille figuras,
Quos statui fidos, hi nocuère mihi..
Antè fui dives, multò quoq; carior antè,
Me quotus in precio iam sinit esse meo:
Vix magis à magnis pauper iam noscor amicis,
Non me sed nummos expetiére meos.
Tu mihi te vero iunxisti fœdere Christe,
Pectore non ficto non simulante fidem,
Tu mihi dum voluor tot vepres inter & hydros,
Tu fer opem, tu vis, tu mihi ferre potes.
Vis ita ferre tamen, ne sit præscripta iuuandi
Vel via vel tempus meta vel vlla tibi.
Me tua (non hominum deliria) semita ducat,
Vox tua sit pedibus clara lucerna meis.
Vinea magna tua est: pauci fidiq; boniq;,
A quibus hæc possit vinea sancta coli.
Tu Dominus messis, messem ne desere, fidos
Tu mihi tu veros suffice Christe viros.

H facie 5. lin. 2. lege: auribus molesta efferebat. H 6. lin. 22. dele, id.

FINIS.

FINIS



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1751857417/phys_0112



http://purl.uni-rostock.de
/resdekkppn175185741?/phys_0113

nium facili consensu & approbatione
erintendentis eum elegit, vocauit &
od etsi inuitus suscepit, proiectam æta-
las vires iam senio & longo labore cons
lens: Ecclesiæ quoq; longè vtilius fore
quis viridioris ætatis sincera doctrina,
poris viribus pollens ad hanc Episcopa-
n ordinariè eligeretur; cuius inspectione
ari doctrina, pys precibus & consilijs in
s huic Ecclesiæ Hamburgensi diu mul-
i liceret, quiq; præsentibus malis & pe-
hristi vndiq; tùm infestantibus par esse
is & summa fide dignissimis videretur:
nis totius Senatus & Pastorum, quo-
m reliqui ministri quoq; secuti sunt,
& consilia præualuerunt. Tandem
plissimo Dominorum consessu, diuinæ
ebat, & dignissimæ vocationi reueren-
bat, XXIX. Augusti, anno à nato
D. LXXI. Introductio verò solennis
Petri facta est XXX die octobris,
per Consules, D. ALBERTVM
MAN, D. HERMANNVM
EN & D. EBERHARDVM
RVM & per tres pastores D. Cyriacũ
Dauid Penshorn & M. Nicolaum Stap-
horst,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1751857417/phys_0114